



**Opuscula quaedam domini Sanct. Aldegondi partim vetera,  
partim nova, nec unquam ante edita, videlicet theses aliquot  
theologicae de Ecclesiae atque ecclesiasticarum traditionum  
krit̄riōi seu certa norma, et de verborum Christi in  
Eucharistiae sacramento vera & genuina interpretatione**

<https://hdl.handle.net/1874/22746>

Opuscula quædam

DOMINI SANCTA I DEGONDIL,  
partim Vetera, partim Nova, nec unquam  
antè edita, videlicet,

Ed. 1844

# THESES

## ALIQUOT THEOLOGICAE

DE Ecclesiæ atque Ecclesiasticarum traditio-  
num κριτηρίῳ seu certa norma,

ET

De Verborum C H R I S T I in Eucharistiæ Sacra-  
mento verâ & genuinâ interpretatione.

A

PHILIPPO MAR NIXIO S A N C T A L D . propositæ Mi-  
chaëli Baio, Theol. professori, & Lovaniensis academia  
Cacellario, ac literis utrinq; datis discussæ aliquoties atq;  
inter eos agitata. Vna cum earum exemplis optima fide a  
Ph. Marnixio ad ipsa autographa revocatis ac discriptis.

Quibus eæ quæstiones & præsertim negotium Sacramentari-  
um modestè, dilucidè & sine ambagibus explicatur.

Huic jam demum accessit postrema Responsio ejusdem, ad Mich.  
Baij Apologiam defensionem ultimam.

V E R I T A T I S C R I B R V M D I S S E R T A T I O N E S

— OS —

F R A N E K E R A E .

Excudebat Aegidius Radæus Ordinum Fratrum  
Typographus, in Academia Franekerana.

Ed. LXXXIX.



*Ecclesiis Belgico Germanicistum  
per Hollandiam & Zelādiam ac reliquam inferiorē  
Germaniam, tum per universam Europam diffusis salu-  
tem & pacem à Deo & Patre Domini nostri Iesu Chri-  
sti cum spiritus Sancti participatione, Philippus Marni-  
xius Sancto Aldegondi ex animo precatur.*

 *V*ox est hodie conceptum ad-  
versus nos ac reliquos omneis  
Christi servos acerbissimum o-  
dium, fratres in Christo dile-  
ctissimi, et si fluit illud omne ex  
primario illo fonte inimicitarum, quæ inter  
serpentem & mulieris semen ab initio positæ  
sunt, quo iam ab orbe cōdito flagrās satā Iesu  
Christi regnū oīb. modis conatur labefactare,  
videtur tamen hoc quidē tempore ad duo ma-  
xime capita ab aduersariis nostris solere referri.

*Alterum nimirum, quòd Pontificis Ro-  
mani, adeoq; totius Ecclesiæ, cuius se ille vi-  
carium, caput ac Sponsum esse venditat, au-  
thoritatem omnem Scripturarū oraculis esse  
subiiciēdam censemus: Alterum verò quod de  
Sacramēto Eucharistię prolata Domini verba,  
non ex eiusdem illius Rom. Pontificis volun-  
tate, ad transsubstantiationis dogma per vim  
& contra manifestam verborum significatio-*

mem, torqueri, sed ad usitatam Sacramentorum rationem, & ipsius institutionis finem atque usum, exemplo Apostolorum, totiusq; Ecclesiae primitiuae, exigi debere contendimus. illo enim, Romanorum Pontificum omnis potestas quam sibi illi tum in legibus atque articulis fidei sanciendis promulgandisq;, tum in Ecclesia pro sua libidine administranda summam arrogarunt, penitus corrutat necesse est. Hoc verò, omnes propemodum ritus, qui iam pridem proclivi hominum superstitione ab Apostolorum institutis paulatim deflexi, ad foedissimas tandem idolomanias in præceps lapsi sunt, prosus conuelluntur.

Quorum quidem utrumq; illi peræquè nefas esse statuunt, non modò paucorum hominum morte, sed quām florentissimorū etiam populorum atq; imperiorum tristi excidio ac ruinā expiandum.

Quare cùm hoc nomine Christianum orbem variis discordiis ac bellis in testinis gravissimè concussum videamus agitari, omnino decet fideles Christi servos adversus hosce satanæ impetus imperterritō animo atq; invictâ constantiâ esse armatos. Quod ut cōlequamur, necesse est duo illa doctrinæ capita ante omnia probe cognita & diligenter perspecta habcamus:

mus: ut ingruente quâvis tentationū procellâ, sacro sanctam Euangeli veritatem inconcussa fide, sartam teatam possimus retinere.

Ad eam rem quum omneis pios summo studio par sit contendere, existimavi mei esse muneris nonnullam talenti à Domino concessi partem eò conferre.

Itaq; cùm ante aliquot annos instituta nobis fuisset cum Michaële Baio Louaniensis acaemiae Cancellario, & inter eos qui trāssubstantiationis pōtificiæ dogma tuentur theologos facile principe, disputatio, quæ quidē propositis ei nonnullis thesibus, tum de Ecclesia eiusq; constitutionum certâ normâ, seu *κριτηρίῳ*, tum de verborū Cœnae dominicæ verâ ac genuinâ interpretatione, agitari coepit, multo post tempore iustis de causis fuit intermissa. Putauit eam hoc tempore iterum esse repetendam, & datâ in lucem ad postremum eius libellum postremâ nostrâ responsione, etiam relatas omnes utrinq; editas epistolas in unum esse coniiciendas volumen, ut ex earum inter se factâ collatione, liqueat quām iniuriant in nos Iudices, qui vel in materiâ Sacramentariâ à propriâ & genuinâ verborum Christi significatione vel tantillum nos recedere contendunt, vel in reliquis fidei ac Religionis

capitibus, q̄ immortalis Dei verbū hominum  
decretis nequaquam subjiciamus, ita indignè  
ferūt, vt hoc solo nomine nos hæres eos, schis-  
matis & perturbatæ reip. christianæ reos agāt.

Hac meâ qualicunque opellâ, quando alio  
grauiori studio atq; instituto remp. hoc tem-  
pore juuare non possum, non pœnitēdum ad  
Christi Ecclesiam fructum redire posse spero,  
proptereà quòd qui in hac disputationis palæ-  
strâ minus sunt exercitati, ex argumentorum  
adversariorum cū nostris accuratâ collatione  
abundè haurient, quo fidem suam in veritatis  
doctrina (quæ quidem ejusmodi dissertatio-  
nibus mirum est quantopere elucescat) ro-  
boratam stabiliant.

Hunc aut̄ meum omnem laborem vobis  
Charissimi fratres meritò putavi esse conse-  
crandum, ut si, quod opto ac spero, aliquis ex  
eo fructus ad vos redeat, Deo immortali me-  
cum gratias agatis. Sin autem nullum aliud  
erit operæ pretium, at certè meum erga vos  
studium ac voluntatem hoc tanquam pigno-  
re testatam habeatis.      Valete.

PHI.

PHILIPPVS MARNIXIVS  
SANCTALDEGONDIUS  
candido Lectori S.

**B**ISENNIVM jam, candide Le-  
ctor, exactum est, quo tum ab  
amicis rogatus, tum invitatus  
ab ijs quorum mihi pro impe-  
rio essent preces, dedi ad Lovaniensis Aca-  
demiae Cancellarium Mich. Baium (nam &  
is ipse significarat fore gratum si quicquam  
vellem cum eo de religionis capitibus dis-  
serere) theses aliquot excutiendas, quibus ea  
cōprehenduntur quae in saeuia hac de religio-  
ne dissidiorum procella non levissimum pō-  
dus videntur obtainere. De ecclesiæ nimirum  
certa norma & sacramento cœnæ dominicæ:  
poscens eius vel iudicium vel responsionem.  
Non multo post intervallo, respondit: ego re-  
scripsi: nec ille meam responsionem tacitus  
præteriit. Interea cessit Lovanium in poce-  
statem hostium. quo quidem ego disputatio-  
nis nostræ curriculum abruptum arbitra-

tus, tantisper me continui, donec superioribus nundinis Francofurtē sib. audio in lucem à Baio editam nostram disputationem. Miratus, leniter tamen tuli, donec in libello ad calcem percurso, præter meam priorem responsionē, cui iam pridem sibi reddit & etiam responderat, astūne an metu omissam, etiam posteriorem (quam temporum iniuria & lu-  
etuosa Louani fortuna hactenus apud me presserat) viderem desiderari. Itaque ratus indignum, si mutila de tanta re disputatione prodiret, volui bona fide simul omnia in unum volumen coniucere: ut de omni controversia Lector sis iudex: nam de fide & aequitate qualis utrinque in edendo præstata fuerit, res ipsa satis testabitur: veritatem certè suam Dominus exercituum afferet. Vale.



# THESES ALIQVOT THEOLOGICÆ.

**A**N Ecclesia, eiusq; constitutiones seu traditiones nullum habeant *κριτήριον* aliud, nisi consuetudinem eorum qui se profitentur Romanam sectari religionem, quam vocant Catholicam?

An hoc *κριτήριον*, si quod aliud est, constet pagina sacræ Scripturæ sola?

An patrum explanationibus & cōmētariis?

An Conciliorum decretis?

An pontificum Romanorum placitis?

An Scholasticorum pronunciatis?

An passim sequatur, ut ait Satyricus, corvos testaque lutoque?

An Ecclesia tribuat authoritatē verbo Dei, an potius verbum Dei Ecclesiæ authoritatē, atque axioma conferat?

Quorum  
Qua, & cuius au-  
thoritate con-  
firmatorū seu  
approbatorū?

*De verbis Sacramenti Cœnae Dominicæ.*

1. An hæc verba *Hoc est corpus meum* contineant propositionem idēticam atq; idem significantem, quod: *corpus meum est corpus meum*, An verò attributum corporis, attribuatur subjecto significato per pronomen, hoc, tanquam diverso à suo attributo?
2. Et si attribuitur tanquam diverso, an attribuatur substantivè, ita ut hæc verba (*hoc est corpus meum*) idem significant atq; *hoc est* substantialiter, ut ita dicam, *corpus meum*? An potius attribuatur sacramentaliter, ita ut ea verba nihil aliud significant, nisi, *hoc est* sacramentaliter *corpus meum*, seu, *corpus meum* dicitur de *hoc quod vobis do*, planè ut sacramenta dicuntur de rebus quas significant & sua institutione demonstrant, quemadmodum Augustinus in libello *De doctrina Christiana* docet, *Sacramentum fidei fidem esse, & sacramentum corporis corpus, & sacramentum foederis fœdus, & sacramentum verbi Dei ipsissimum verbum Dei: non quidē substantia, sed usū, institutione, repræsentatione, ac significantissima exhibitione ante oculos fidei?*
3. *Quo argumento doceatur vocem E S T  
hac circumstantia significare substantialitatem?*

liceat

licet enim ita loqui. An hoc ipso argumento tanquam μέσω non possit formari certa atque indubitate ratiocinatio per propositionem generalem, quo argumenti vis possit & rectius intelligi & certius judicari?

Exempli gratia.

Vbicunque vocula EST conjungit prædicatum cum subiecto in hac vel ejusmodi circumstantia, toties accipitur substantivè.

In hac propositione vocula EST conjungit prædicatum corporis cum subiecto pronominis demonstrativi, *Hoc* &c.

Ergo. &c.

4. An explicatio horum verborum debeat aut possit aliunde sumi, q̄ ex ipsius Christi aut Euangelistarum verbis?

5. An illa propositio de calice: *Hoc poculum est novum Testamentum seu foedus* (*διαθήκη* enim utrumque h̄ic significat, ut Hebræis *Oth-Berith*) in meo sanguine: & illa, *Hic est sanguis novi Testamenti, non idem significant, & se-* se mutuo significanter explicit? Ac proinde, an non penitus sit eadem ratio in pane; ita ut hæ propositiones, *Hic panis est novum testamentum seu foedus in meo corpore, &c, Hoc est corpus meum: & item, Hic panis quem*

fran.

frangimus est κονιωνία corporis Christi, & Hic panis quem frangimus est corpus Christi, idē significēt, & sese mutuo significāter explicēt?

6. Item an pronomen *Hoc* aliud significet quām idipsum quod uno ore omnes Euangelistæ testantur, Christum accepisse, fregisse, deditse discipulis, ac iussisse ut acciperent & comedenter?

7. An Paulus 1. Cor. 10. quum hunc panem nominat, & panem quem frangimus disertè explicat, aliud Sacramenti subiectum statuat atq; Christus, vel ipse Paulus (1. Cor. 11.) pronomine *Hoc* velit significari quod omnes Euangelistæ testantur fuisse panē quem Christus fregit & dedit, & de quo deniq; loquutus est?

8. An in propositione de calice non eadem sit subiecti ratio, atq; in ea quæ est de pane, ac proinde quum subiectum in propositione & oratione de calice non solū demonstretur pronominis *Hoc*, sed planè & disertè nominetur Τῦτο τὸ πρότυπον, vel fructus ac genimē vitis, an non eadē sit ratio in pronominis *Hoc*, quod usurpatur in propositione de pane: ita ut *Hoc* idem significet, quod, hic panis, vel hic fructus tritici de multis coadunatus granis.

9. Si subiectum positum in hac propositione

ne *Hoc est corpus meum* mutatur vel mutatum fuit à subiecto panis, quod Euangeliſtē testantur Christum accepisse, fregisse, & dedisse &c. quando mutatum fuit, qua vi, quo Domini mandato, quo divini verbi argumento?

10. Quæ sit analogia unionis corporis Christi cum Ecclesia declarat̄ 1. Cor. 10. si nulla est panis vel vini reliqua substantia?

11. Quomodo veteres docuerunt eandem aut similem esse transformationem panis & vini in corpus & sanguinē Christi, qualis erat aquæ admistæ vino in populum Christi eius corpori per fidem conglutinatum?

GENERO SO, NOBILI, ERV-  
DITISSIMÓ QVE VIRO DOMI-  
no Philippo Marnixio Sanctaldegondo.

**D**OMINVS de wignacourt mihi hactenus &  
de nomine & de facie ignotus, sed tuae genero-  
sitati, ut intelligo, affinitate coniunctus, Gene-  
rosissime atque eruditissime Sanctaldegonde,  
multas mihi questiones obtulit, quas aiebat tractandas at-  
que solvendas ad me per te transmitti. Facile fuisset, et a-  
tem, quotidianam p̄ælectionem, & negotiorum turbam  
quibus quotidie in Universitate, in ecclesia S. Petri, & in  
collegio nostro interpellor atque distrahor, excusare: sed in  
re tam pia tamque patrie utili (si forte dignaretur Deus  
in te operari, quod magnopere exopto, quodque quotidiana  
precibus instanter ab eo postulo,) nolui dilationem que-  
rere, confidens quod is qui tibi hunc querendi affectum in-  
didit, etiam mihi suggesteret, meque docebit quid & quomo-  
do respondere debeam, ut tibi in bonum cooperetur mea re-  
sponsio. Vtrumque enim Dei donum est, & veritatem sin-  
cere, hoc est non contendendi sed sciendi studio atque in-  
tentione invenire, inuentamque sic proponere, ut honori-  
fice susceptra debitam suo auctori gratiarum referat actionem.  
Ne autem mora & responsionis prolixitas tibi for-  
te molesta sit, si illam distulero mittere donoc universas qua-  
stiones absolvero, decrevi primum ys tantum respondere  
qua de Ecclesia proponuntur, & responsionem hanc mittere,  
ut cognito quomodo eruditioni tua satisfecerit, alacrius  
reliquarum tractationem aggrediar & prosequar: idque  
non carptim ac seorsim de singulis questionibus differendo  
faciam, sed uno quodam sermonis tenore, quia questiones  
ita inter se ordine convenienti contexta sunt & coaduna-

ta, ut ipsa earum dispositio id omnino postulare videatur. Quod si forte non per omnia tue intentioni satisfecero, non prope, ea debes de asequenda veritate desperare. Non potest homo accipere quicqua, nisi fuerit ei datum de celo: sed quod hodie nobis clauditur, potest nobis cras potentibus & ad avres divina misericordia pulsantibus aperiri, aut per eloquia sanctorum Scripturarum aut per sermocinationes fratrum, aut per internam divina inspirationis gratiam, ubi sine sono verborum, sine elementis literarum veritas ipsa tanto dulcior quanto secretius loquitur.

*Queris igitur:*

1. An Ecclesia eiusq; constitutiones seu traditiones nullum habeant *episcopos* aliud, hoc est, ut interpres, iudicium seu ex quo iudicentur, nisi consuetudinem eorum qui se profitentur Romanam sectari religionem, quam vocant Catholicam?
2. An hoc *episcopos*, si quod est, constet pagina sacrae Scripturae sola?
3. An Patrum explanationibus & commentarijs?
4. An Conciliorum decretis?
5. An Pontificum Romanorum placitis?
6. An Scholasticorum pronunciatis?
7. An passim sequatur (ut ait Satyricus) corvos testaque lutoq;.

An Ecclesia tribuat autoritatem verbo Dei, an potius verbum Dei, Ecclesiæ authoritatem atque *ætappa* conferat.

*Ad primam & secundam questionem clarissime responderet D. Augustinus cap 2. lib. De unitate Ecclesiæ, qui habetur in 7. tomo operum eius, his verbis: Inter nos & *Donatistas* quæstio est, ubi sit Ecclesia; quid ergo facturi sumus;*

in verbis nostris eam quæsturi, an in verbis capitum sui domini nostri Iesu Christi? Puto quod in verbis illius eam querere debeamus, qui veritas est & optime novit corpus suum, novit enim Dominus qui sunt eius. Et cap. 3. eiusdem libr. Non audiamus, Hac dico, hæc dicis: sed audiamus, Hac dicit Dominus. Sunt libri Dominici quibus utrique nostrum conscientius, utrique credimus, utrique servimus, ibi queramus Ecclesiam, ibi discutiamus causam nostram. Et infra: Nolo humanis documentis, sed divinis oraculis S. Ecclesiam demonstrari; Id quod in reliqua parte libri elegantissime exequitur. Primum quidem varias regni Dei figuratas insinuans, sed tamen nolens iis que ab ingeniosis hominibus hic atque illuc converti possent, suam disputationem committere, statim transit ad scripturas veteris Testamenti, quæ maiori evidenter prænuntiant, futurum Christi regnum non uno aliquo angulo constituendum, sed toto terrarum orbe diffundendum, quam prænuntiant mundi Salvatorem aliquando venturum. Deinde transit ad Scripturas novi Testamenti, quibus ostendit id toto orbe terrarum post Christi resurrectionem impletum, quod varijs figuris & manifestis Prophetis de Ecclesia Christi toto terrarum orbe diffundenda fuerat ante predictum. Longum esset ipsas utriusque Testamenti scripturas sacras prosequi, & quantum mihi apparet, superfluum, quia in iam dicto D. Augustini libello De unitate ecclesiæ, tam conuenienti ordine disponuntur, tanta eruditione & perspicuitate differuntur, ut per me aut alium quempiam similem aliquid velle adiucere, potius sit eas obscurare quam illustrare. Itaque, ut compendio utar, ego transmeruditonem ad iam dictum libellum remitto, ex quo etiam non tantum perspicies indicium de Christi Ecclesia

ex Scripturis sacris esse petendum, sed etiam quod ex sola Scriptura peti debeat. Quanquam, sicut eruditissima prudētia tua non dedit natura mea tenuitatis obsequio velle uti, ut in Scripturis sanctis verum de Christi Ecclesia iudicium cernat; sic etiam mirari non debet, si veri fideles, ut ex Scripturis sanctis de eadem Ecclesia verum iudicium accipiat, eorum se studio, diligentia & testimonio juvare conetur, qui praeceteris vera sapientia a Deo ditata fuisse creduntur: Eiusmodi fuit D. Augustinus, de quo scribit Prosp. in carmine contra ingratos: quod

Cum nulla sibi tribuit bona, fit Deus illi  
Omnia, & in sancto regnat sapientia templo.

Fuerunt & alij multi toto orbe notissimi, quorū studio & auctoritate ad hāc rem juvari possumus. Ad eundem nsum referenda existimo Conciliorū decreta, placita Romanorum Pontificum & pronuntiata Scholasticorum, quibus tamen Scholasticis (ut verum fatear) subinde plus tribuerem, si magis Scripturis incumbentes, ex Philosophorum gentilium tenebris non tam multa emblemata suis disputationibus intexerent.

Questio autem qua queritur: An Ecclesia verbo Dei, an potius verbum Dei Ecclesia auctoritatem & dignitatem tribuat, similis est ei questioni, qua queritur: An Christus auctoritatem Ioanni Baptista tribuerit, dicens: Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista: an vero Iohannes Christo, cum ait: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi: hic enim venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. & discipuli Iohannis: Qui erat trans Iordanem, cui testimonium perhibuisti (inquiunt) hic baptizat. Nam in quantum per testimonium Iohannis, qui fuit vita admirabilis, inducti

Bti. sunt

sunt homines ut in Christū crederēt: negare non possumus, quin Ioannes apud homines aliquam Christo auctoritatem & dignitatem tribuerit! licet Christus illo testimonio non indignuerit, sicut apud Ioannem prosequitur, cūm ait: Vos misistis ad Ioannem & testimonium perhibuit veritati, ego autem non ab homine testimonium accipio. Et infra: Ego habeo testimonium maius Ioanne; opera enim quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea, ipsa opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me. Sed quia Ioannes lucerna tantum fuit luce lucens aliena, quæ vero lumine destituta, statim ad suas tenebras recidisset: ideo longe convenientius dicitur, quod Christus qui est lux vera quæ tenebrescere non potest, & lumen & auctoritatem & dignitatem Ioanni tribuerit, quam contra. Simili modo etiam, quia testimonio Patrum & totius Ecclesiae inducimur ut scripturas Canonicas pro sacris & divinis habeamus, rectissime dicitur, quod Patres & Ecclesia Dei vivi, quæ est columna & firmamentum veritatis, non quidem lumen & veritatem sed apud fideles & multos infideles que juxta testimonio commoventur, auctoritatem & dignitatem tribuat. Sed quia Scriptura sacra, quæ nec falli potest nec fallere, ipsam veritatem in se continet; Ecclesia vero non nisi veritate in sacris literis descripta illuminatur, & sibi derelicta facile posset in suas tenebras relabi: ideo convenientius dicitur, quod Scriptura sacra Ecclesia Christi auctoritatem & dignitatem tribuat, quam contra.

De constitutionibus Ecclesiae hoc solum dico, quod ubi regnum agnoscitur, ibi non possunt negari constitutiones: cum omne regnum pro suo regimine habeat constitutiones. Porro Ecclesiam Christi regnum esse, agnoscit non tantum Daniel in Prophetia sua, dicens: quod suscitabit Deus cali regnum

regnum quod in aeternum non dissipabitur: sed etiam Ioannes Baptista & Christus ipse, cum aiunt: Poenitentiam agite, appropinquabit regnum calorum. Facile possent hac longe diffusius & copiosius ex Scripturis sanctis differi, sed puto id acutissimi ingenij tui minus congruere, quod Deus in ipsis questionibus illustrare dignetur in quibus caligare aut saltem herere videtur. Bene vale generosissime atque eruditissime domine. Lovaniij 22. Octobris, 1577.

Mich.de Bay.

**P**AMPLISS. VIRO D. MICHAELI  
BAIO ACADEMIAE LOVANIENS.  
Cancellario & Theologia professori, Philippus Marnixius  
Sanctaldegondius S.

**I**TERAE tuæ , eruditionis ne an benevolentiae atque humanitatis pleniores, Reuerende D. Doctor, ita mihi fuere gratae ut quod omnium est gratissimum. Fuit enim jucundum à tali ac tanto viro, & quem sciebam negotiorum ac laborum ingenti mole propemodum obrui, eam tamen mihi præstari operam quæ posset & ad Dei gloriam promovendam, & ad fidem corroborandam esse vehementer utilis. Sed multo etiā fuit jucundius in gravissima quæstione, quam ego hactenus omnium nostrarum controversiarū tantumnon cardinē ac fundamentū præcipuum esse semper sū arbitratus, propè ad amissim nos con-

Bij

sentire.

sentire. Itaque ago, mi Domine, gratias tibi pro hoc beneficio, meumque studiu atque operam si qua in re cōmodare aut prodesse potero, tibi tuisque polliceor; & humanitate ista tua fretus, pergo in prioribus quæstionibus, reliquos si qui restent scrupulos enodare, & simul responcionem ad posteriores deponscere. Quantum itaque ex tua seu potius Augustini responcione possum conjicere, omnino ita sentis, unicum Ecclesiasticarū traditionum ~~spiritū~~, unicum lapidem Lydium atque indicem esse verba Domini nostri Iesu Christi tradita sacræ scripturæ disertis paginis, nec audiendum esse: Hoc dicit Augustinus, hoc dicunt Donatistæ, sed Hæc dicit Dominus, & in libris Dominicis quibus utrique credimus, utrique assentimur quærendam esse Ecclesiam, causamque omnem nostram & controversiam discuntiendam. Denique judicium de Christi Ecclesia eiusque doctrina & sacramētis, (hoc n. ex priori necessariò efficitur) ex sola scriptura peti debere. In hoc certè ego tibi per omnia planissimè assentior, ac verè etiam ita statuo, si hoc ipsum impetremus, facile reliquas omnes controversias ac nullo negotio iri compositū. Ut enim post Paulum ait Athanasius, sufficiūt sanctæ ac diuinitus inspiratæ scripturæ ad omnem instructiōnem veritatis. Quamobrem etsi libens confiteor quod aīs, veros fideles, ut exscripturis sacris de Christi Ecclesia verum judicium accipiant, eorum se studio, diligentia & testimonio juvare qui præ cæteris vera sapientia à Deo ditati fuisse credūtur, inter quos ego vel imprimis Augustinum non gravatè reposuerim; tamen illud cum Chrysostomo liceat contédere,

dere, multos quidem Spiritum Sanctum jactare, sed qui propria loquuntur falsò illum prætendere; ut enim Christus non à seipso loqui se testatur, quia ex lege loquebatur & prophetis: ita si quid præter Euā-gelium sub titulo Spiritus obtruditur, ne credamus, quia sicuti Christus legis & Prophetarum impletio est, ita spiritus Euangelii. Deinde & hoc addo, quod Augustinus eiusque similes vera à Deo sapientia præcæteris ditati fuisse credantur, id nō aliundè fuisse adeptos, nisi quod scripturis quæ solæ hanc sapiētiā uberrimo latice profundunt, & solæ hominem redundunt ad salutem eruditum, per fidem in Christo Iesu, consentanea & senserint & scripserint. Quo enim quisque propriū ab hoc fonte suos irrigat doctrinā tubos, eo puriori certè limpha lectorem quisque reficit: quo verò remotius, eo inquinatiore, ita ut qui se longissimo intervallo ab eodem continent, ii iam non inter pios & sinceros Ecclesiæ doctores, sed inter hæreticos, & scripturarum depravatores connumerentur, cuius cùm eadem penitus sit in Concilijs, Pontificum decretis & Scholasticorū placitis statuenda ratio, non est quod verear cum Augustino pronunciare: Nec ego Nicenam synodū tibi, nec tu mihi Ariminensem debes, tāquam prejudicaturus, objicere, nec ego hujus autoritate, nec tu illius detineris, scripturarum authoritatibus, non quorumcumque propriis, sed quę utrisque sunt cōmunes, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione certet &c. In summa hoc inter nos conveniat, doctrinę Apostolicę & Propheticę, cui soli innixa est Ecclesia, judicium omnē ad scripturam sacram esse revocan-

dum, omniaque omnium vel patrum dogmata, vel conciliorum decreta, vel pontificū placita, vel Scholasticorum axiomata non aliter esse recipienda, nisi quatenus huic scripturæ sunt consentanea.

Quod ad alteram quæstionem attinet: An Ecclesia verbo Dei, an potius verbum Dei Ecclesiæ authoritatem tribuat? ita mihi per omnia fatisfecisti, ut non potuerim istum tuum candorem non vehementer exosculari. Næ tu etenim perquam eruditè ac pie responsonem tuam comparatione Ioannis Baptiste cum Christi doctrina confirmasti, ita ut in hoc capite nulla restet inter nos controversia.

Postremum tantum Epistolæ tuę caput, de constitutionibus Ecclesiæ, vellē paulò dilucidiūs explicasse. Ais enim, ubi regnum agnoscitur, non posse negari constitutiones: quod certè libenter damus, sed simul addimus, ab ipso rege in quovis quidem regno constitutiones debere proficisci; sed maximè certè in Ecclesia, in qua Christus ita regemagit, ut simul sit & corporis caput, & sponsę maritus, & ovium pastor, ita ut unius ejus vocem audiant oves, imperium accipiat sponsa, spiritu vegetentur ac moveantur membra, cōstitutionibus denique obtemperet populus: Ipse enim unus est de quo dictum est: Hunc audite, ac proinde semper atque indefessa seculorum continuatione resonavit ac resonat in auribus Ecclesiæ ista regis unius vox ac mandatum: Quod præcipio tibi, hoc observabis ut facias, non addes quam nec detrahes. & illa: Non addes ad verbum Domini, nec minues ex eo, ne te fortè arguat inveniarisque mendax. item: Audiendo audite vocem meam,

meam, & ero vobis Deus, & eritis mihi populus, & „  
 ambulabitis in omni via quam mandauero vobis. „  
 Item : Nunquid vult Dominus holocausta & vieti- „  
 mas, & non potius ut obediatur voci suę? melior est „  
 enim obedientia quam victimæ, & auscultare magis „  
 quam offerre adipem arietum, quoniam quasi pec- „  
 catum ariolandi non auscultare, & quasi idololatrię „  
 iniquitas nō acquiscere. & item: In constitutionibus „  
 patrum vestrorum ne ambuletis : & judicia eorum „  
 seu decreta ne observetis, & in pollutionibus eorum „  
 ne conspurcetis, ego enim sum Ichova Deus ves- „  
 ter, in constitutionibus meis ambulate, & decreta „  
 mea seu judicia observe, & facite ea: aliæque sexcē- „  
 tæ, quibus inducti patres infinitis locis affirmarunt,  
 quicquid non esset manifesto Dei verbo fundatum,  
 habendū esse pro sacrilegio; nec enim in ullo feren-  
 dum est regno, rege vivo ac regnante, ac iussa sua ex  
 sacrarum tabularum præscripto dictante, à quodam  
 alio legem constitutionemque sanciri. In quo si te  
 habebo, quod certè tuæ mentis ac judicii perspicui-  
 tate, & simul eruditiois ubertate fretus fore confi-  
 do ad stipulatorem, nihil plane restat amplius in pri-  
   lide Ecclesia quæstione quod habeat scrupu-  
   lum : ac proinde rogo ut ad posteriores  
     de sacramento interrogaciones tuam  
     primo quoque tempore audiam  
     sententiam. Vale.

24 GENEROSO, NOBILI ERV-  
DITISSIMO QVE VIRO DOMI-  
NO Philippo Marnixio Sanctaldegondo.

**C**VM nondum acceperis tuis literis, ex quibus cognoscerem quo modo priores responsones acceperis inciperem, de tractandis reliquis questionibus cogitare, eruditiss. D. Sanct. Aldegonde (metuebam enim ne actionibus publicis plus satis occupato non vacaset tam cito responsones meas legere & dijudicare) decimanona huius oportunitate supervenerunt mihi bina tua litera, quam multis de causis, quas longum esset prosequi, mihi iucundissima fuerunt: nam licet videam non deesse in quibus adhuc conferre debeamus, & Deo juvante conferemus, attamen confidens in eo qui habitare facit unanimis in domo & sollicitos reddit servare unitatem spiritus in vinculo pacis, spero nos de omnibus collatuos absque omni amaritudine & animi contentione: Servum enim Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, cum modestia corripientem eos qui resistunt veritati. & Modestia vestra nota sit omnibus hominibus, inquit Apostolus. In primis autem me exhilaravit, quod senserim tibi ostensum a Domino, questionem de Ecclesia versari circa unum ex precipuis cardinibus seu fundamentis nostrae religionis. Nam in duorum hominum causa propriè fides Christiana consistit: unus, in quo lapsi, cœci & malifaci sumus: alterius, in quo reparamur. Porro in eo in quo reparamur, non tantum agnoscendum est caput, de quo scriptum est: Omnis quicumque invocaverit nomen ejus salvis erit; & Non est in aliquo alio salus, nec enim est aliud nomen datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri, sed etiam corpus extra quod salus esse non potest, dicente Christo: Nemo ascendit in cælum nisi qui descendit

Scendit de cœlo, filius hominis qui est in cœlo: caput videlicet cum corpore: nam si solum caput ascederet in cœlum, omnes nos in terra remaneremus. Porro sicut caput quod nascendo possum est in ruinam & in signum cui contradicetur, non tantum a filiis suis semper agnatum fuit & creditum, sed etiam suo tempore in terris visum, & a reliquis omnibus certa fide discretum, dicēdo ei: Tu es Christus filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti; sic etiam corpus Christi, sensu manifestū ejus regnum a Patriarchis & Prophetis semper creditum fuit, & ab ijs qui post Christi ascensionem, misso Spiritu sancto, Christi Euangelium toto orbe terrarum disseminaverunt aut disseminari viderunt, usque in hunc diem semper visum fuit, & ab omnibus schismatis certa fide discretum, dicendo: Hæc est domus Domini firmiter aedificata super firmam petram. De quare ne longum faciam sermonem, oro ut digneris legere sermonem quartum & sextagesimum primum in fine D. Augustini; inter sermones Lovaniim pressos, quorum exemplar tibi transmitto, ne forte non sit apud vos in promptu.

Nunc superest ut responsiones brevissimas, ingenio & occupationibus tuis ac meis accommodas, quantum Dominus largiri dignabitur, reliquis questionibus adhibere conemur, quarum primæ sic habent:

1. An hæc Christi verba *Hoc est corpus meum*, continent propositionem identicam atque idem significantem, quod: *corpus meum est corpus meum?*  
An verò attributum corporis, attribuatur subjecto significato per pronomen *hoc*, tanquam diverso à suo attributo?

2. Et si attribuitur tanquam diverso, an attribuantur substantivè, ita ut hæc verba (*hoc est corpus meum*)

idem significant atque hoc est substantialiter , ut ita dicam: corpus meū? An potius attribuatur sacramentaliter, ita ut ea verba nihil aliud significant nisi, hoc est sacramentaliter corpus meum, seu , Corpus meum dicitur de hoc quod vobis do, planè ut sacramenta dicuntur de rebus quas significant & sua institutione demonstrant , quemadmodū Augustinus in libello De doctrina Christiana docet , Sacramentum fidei fidem esse,& sacramentum corporis corpus,& sacramentum fœderis fœdus,& sacramentum verbi Dei ipissimum verbum Dei; non quidem substantia, sed usu, institutione , repræsentatione , ac significantissima exhibitione ante oculos fidei?

3. Quo argumento doceatur, vocem EST in hac circumstantia significare substantialitatem? liceat enim ita loqui , An hoc ipso argumento tanquam ~~mis~~ non possit formari certa atque indubitata rationcinatio per propositionem generalem, quo argumēti vis possit & rectius intelligi & certius judicari? Exempli gratia.

Vbicunque vocula E S T conjungit prædicatum cum subiecto in hac vel ejusmodi circumstantia, toties accipitur substantivè.

In hac propositione vocula E S T conjungit prædicatum corporis cum subiecto pronominis demonstrativi *Hoc &c.*

Ergo.&c.

### RESPONSIO.

*Propositionem identicam vocamus, non quando attributum & subjectum pro eadem re particulari accipiuntur, pro qua verificatur assertio: nam alioquin enunciatio generis*

ueris de specie speciei de individuo, & accidentis de subje-  
cto, essent propositiones identicae: ut, lapis est substantia, Pe-  
trus est homo, & Cicero est Orator: sed vocamus proposi-  
tionem identicam, quando res eadem sub eodem nomine aut  
saltet sub synonimo de seipsa enunciatur: ut, corpus meum  
est corpus, gladius est ensis. Quamobrem dicendum non  
est quod hac Christi assertio: hoc est corpus meum, sit i-  
dentica propositio, etiam si vera esse nequeat nisi attributum  
& subjectum pro aliqua eadem re particulari accipientur,  
pro qua sit verificatio: sed dicendum est quod sit enunciatio  
communis attributi de singulari subjecto. Nam licet Chri-  
stus unicum corpus habuerit, attamen etiamsi viginti cor-  
pora habuisset, de quolibet dicere potuisse hoc est corpus  
meum. Ex quo intelligimus vocem, meum corpus, sicut mens  
datus, communem esse non singularem. Porro enunciationes  
simplices, in quibus alterum de altero mediante verbo substi-  
tutivo est enunciatur, sunt in dupli genere: aliae enim profe-  
runtur intentione afferendi id quod est, quando ejusmodi  
propositio incipit enunciari, ut lapis est corpus, Petrus sedet:  
Aliæ vero proferuntur non intentione afferendi id quod est,  
quando enunciatio incipit proferri: sed intentione facien-  
di id quod ejusmodi enunciatione significatur, & quod tunc  
primum erit, quando ipsa enunciatio prolata fuerit: Ut si  
quis demonstrato agro proprio cuiquam alteri diceret, hic est  
ager tuus, non intentione afferendi quod non est, sed inten-  
tione faciendi, ut id sit quod dicit. hoc est, ut ager qui ei pro-  
prius est, alterius efficiatur, ejusmodi enim sermonibus a-  
pud Iurisconsultos aliquando intelligitur fieri dominiorum  
& possessionum translatio. Talis sermo videtur esse apud  
Lucam, cum ait Christus: Homo, remittuntur tibi pecca-  
tata. & rursus: Remittuntur ei peccata multa, quoniam  
dilexit

dilexit multum. & apud Iohannem: Filius tuus vivit, Non enim (sicut intellexerunt illi quibus loquebatur) volebat Christus aferere quod esset, sed id sacere quod dicebat. Caterum quia nos nostris sermonibus substantias mutare non possumus, ideo exempla enuntiationum posterioris generis, quibus substantia in substantiam transmutatur, non in nostris sed in Christi sermonibus sunt petenda. Verbi gratia: Si Christus in nuptiis volens ex aqua sex hydrijs contenta vinum facere, his verbis usus fuisset, hoc est vinum: similiter si voluisse diabolo acquiescere petenti, ut diceret lapidi huic, ut panis fiat, atque id his verbis effecisset, hic est panis, non intendisset his duabus enunciationibus, videlicet, hoc est vinum: &c, hic est panis, afferere, quod aqua hydrijs contenta, & hic lapis (qua tunc existabant cum has enunciationes proferre coepisset) fuissent vinum & panis, quia id manifeste falsum fuisset, sed tantum intendisset facere, ut id esset quod dicebat: & hoc dicendo significare, ea que ex aqua hydrijs contenta, & ex hoc lapide demonstrato fecisset esse vinum & panem: quasi dicat, hoc quod ex aqua hydrijs contenta facio, vinum est: & hoc quod ex hoc lapide facio, panis est. Simili modo quando ait Christus, hoc est corpus meum. &, hic est sanguis meus; non intendit afferere quod panis & vinum qua tunc presentia habebat cum hac incipiebat dicere, essent corpus & sanguis ejus, quia id falsum est: sed ne falsum diceret, omnino credendus est intendisse ex pane & vino corpus & sanguinem suum efficere, & illis duabus enunciationibus, hoc est corpus meum. &, hic est sanguis meus significare, quod ea que suis verbis ex pane & vino faciebat, essent corpus & sanguis ipsius. ex quibus facile intelligitur, quod in dictis duabus enunciationibus: hoc est corpus meum, & hic est

Hic est sanguis meus, pronomina hoc & hic non referuntur ad panem & vinum, quae ante prolationem harum diuarum enunciationum praefuerunt, (sic intelligerentur referri si tantum intentione afferendi proferrentur, quod Christus facere non potuit, quia non potuit falsum dicere,) sed referuntur ad hoc corpus & ad hunc sanguinem, quae jam dictis verbis Christo hoc intendete efficiuntur, quasi dicat: hoc quod ex hoc pane facere intendo & facio, est corpus meum: & hoc quod ex hoc vino facio, est sanguis. His diligenter consideratis, facile est propositis questionibus respondere, quod hac verba: hoc est corpus meum, non continet propositionem identicam, atque idem significatorem q̄, corpus meum est corpus meū: sed id significante quod diximus: quodq; attributum corpus tribuatur subiecto significato per pronomen hoc, non tanquam diverso a suo attributo, sed tanquam rem eandem singularem significanti, nempe, hoc Christi corpus ex pane confectionum virtute verborum Christi. Vnde nec dicere oportet quod hujus enunciationis, hoc est corpus meum, sensus sit, quod hic panis substantialiter vel sacramentaliter sive significative sit corpus meum: sed sensus est, quod id quod ex pane facere intendo & facio, est corpus meum, ut diximus. Caterum quia negari non potest, quin Christus ex aqua vinum, ex lapide panem, ex pane & vino corpus suum & sanguinem efficere potuerit, idque his verbis, hoc est vinum, hic est panis, hoc est corpus meum, hic est sanguis meus. Si enim potuit Petrus umbra sua per trāseundo quosvis agros ab infirmitatibus liberare, quanto magis potuit Christus verbis suis ex re qualibet quamlibet aliam rem aliam efficerre? Ponatur ergo disputandi gratia, quod Christus haec universa jam dictis enunciationibus effecerit, oratio tua crudis-

eruditio dignetur propositis à se questionibus respondere,  
Nempe an hac propositio sit identica, hoc est corpus meum? An attributum corpus tribuatur subjecto significato per pronomen hoc tanquam diverso? An hujus enunciationis hoc est corpus meū, sensus sit, hic panis est substantialiter vel sacramentaliter corpus meum? & si ubi de re convenimus, adhuc easdem pene difficultates inveneris quas nunc proponis, facile intelliges questionum multarum nebulas non tam ad rei veritatem quam ad dicendi rationem pertinere.

Miror autem prudentiam tuam querere, quo argumento doceatur, vocem est in hac sermonis circumstantia, hoc est corpus meum, significare substantialitatem, cum illa sit propria & consueta ejus significatio tam Græce quam Latine, in qua ab initio nascentis Ecclesie semper ab omnibus nostris majoribus accepta est. Neque enim rogare solemus, cur aliquis per publicam & consuetam viam ambulet, sed si ab illa digressus insolita & improbata diverticula sectetur, tunc merito rogatur, cur derelicta regia via ad insolitam se convertat: & ideo potius rogandum eſet, quo argumento moveantur, qui vocem est in hac circumstantia, præter consuetam significationem & præter omnium catholicorum intelligentiam, ad significationem referunt, quam quo argumento doceatur substantialitatem significare. Scio quosdam proferre scripturam 1. ad Cor. 10. Petra autem erat Christus: in qua vocem est existimant pro significat positam: ut persuadeat ipsam etiam in hac circumstantia pro significat accipiendā. Sed an ex hac scriptura satis solidū proferri possit argumentū quo id probetur, forsitan non immoritò dubitauerit quispiam: quia Apostolus non videtur loqui de petra Oreb suo loco manēte, ex qua Moyses semel a-

quam

quam protulit, que petra nō poterat esse Christus nisi significative: sed loquitur de petra semper populum consequente, & potum corporalem ac spiritalem semper suppeditante, quæ petra non significative sed substantialiter erat Christus, sicut D. Chrysostomus interpretatur. Sed detur vocem est uno atque altero loco propter sermonis circumstantiam significativè seu sacramentaliter intelligi, an ideo quando sine tali circumstantia simpliciter ponitur, proferendū erit certum argumentum quo doceatur substantialitatem significare, & in sua significatione propria debere accipi? Scio etiam D. Augustinum epistola 23. dicere, quod sacramenta habeant quandam similitudinem earum rerum quarum sunt sacramenta, atque ex hac similitudine plerumque etiam ipsarum rerum nomina accipere; seu subjungens exemplum, quod secundū quendā modum sacramentum corporis Christi, est corpus Christi, satis apertè significat hunc loquendi modū, sacramentū corporis Christi est corpus Christi, non esse propriū & consuetū, sed insolitū & ex sermonis circumstantia, intelligendum: quæ ubi defuerit, sicut in verbis Christi, quibus ait, hoc est corpus meum, hic est sanguis meus, non sine studio proprij sensus videtur talis intelligentia queri.

*Quæris etiam:*

4. An explicatio horum verborum *hoc est corpus meum*, debeat aut possit aliunde sumi, quam ex ipso Christi aut Euangelistarum verbis?

5. An illa propositio de calice: *Hoc poculum est novum testamentū seu scēdus* (*διαθήκη* enim utrumque hic significat, ut Hebreis *Oth Berith*) in meo sanguine: & illa, *Hic est sanguis novi testamenti*, non idem significet, & se se mutuo significanter explicit? Ac proinde,

inde, an non penitus sit eadem ratio in pane; ut hæc propositiones, Hic panis est novum testamentum seu fœdus in meo corpore, & Hoc est corpus meum: & item Hic panis quem frangimus est ~~non vestra~~ corporis Christi, & Hic panis quem frangimus est corpus Christi, idem significant, & sese mutuò significanter explicit.

## RESPONSI O.

*Augustinus de doctrina Christiana lib. 2. c. 9. docet, illa quæ in libris Canonicis aperte posita sunt, solertiū diligentiusq; investiganda, ut ad obscuriores locutiones illustrandas de manifestioribus sumantur exempla, & quædam certarum sententiārum testimonia dubitationem de incertis auferant. Ex quo intelligimus non omnia scripturæ sacra testimonia ex alijs esse intelligenda. Nam quædam aperte posita sunt, quæ ex proprijs verbis & locutionibus intelliguntur; sed ea duntaxat quæ obscuritatē habent quæ possit ex alijs manifestioribus locutionibus aut testimonijs illustrari. Nunc vero considerandum est, utrum hæc duo testimonia, hoc est corpus meū & hic est sanguis meus novi testamenti obscuritatem habeant: & si obscuritatem habere putentur, an hæc obscuritas per hanc sententiam tanquam manifestorem: hic calix novum testamentum est in meo sanguine, possit illustrari. Nam priora illa duo testimonia forsitan multis videbuntur hoc posteriori longè magis esse perspicua, præsertim quia hæc sententia, hic est sanguis meus novi testamenti, planè respondet illi, quam ex Exodo citat Apostolus ad Hebraos, capite 10. Hic est sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus, Igitur hoc testimonium hic calix novi est testamenti in meo sanguine non est idoneum ad illustrandū duo illa priora.*

priora, sed potius contra: aut si utraque ambiguitatem aut difficultatem habere pretenduntur, cur ad alias sententias obscuriores recurremus in quibus videtur posse error abscondi, & non potius ad eorum studium ac testimonium qui presentis temporis contentiones praecesserunt, & ad intelligendas scripturas sacras, prae ceteris fuerunt a Deo illuminati & nūsmodi fuit D. Ambrosius, qui de ijs qui initiantur & de Sacramentis questiones istas clarissimè dissolvit. Nam negare non possumus, Deum quorundam oculos excæcare, ne forte videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, ut ad Dominū convertantur et sanentur ab eo, in quibus Deus hujus seculi, inquit Apostolus, excæcavit metes infidelium, ut nō fulgeat eis illuminatio Euāgelij glorie Christi, etiam si apertissimè prædicetur. Restat igitur, ut in his obscuritatibus, quæ non videntur obscuritates fuisse veteribus, ad illos recurramus quibus Deus putatur dedisse aures ad audiendū & oculos ad videndum; ne forte nos hic non satis acute cernamus. Verba Ambros. de ijs qui initiantur mysterijs, cap. ultimo sic habent: Potior est lux q̄ unobrā, veritas q̄ figura, corpus authoris quam māna de scelo. Forte dicis: Aliud video, quomodo tu mihi asseris, quid Christi corpus accipiam? & hoc nobis adhuc supereft, ut probemus. Quāris igitur utimur exemplis probemus non hoc esse q̄ natura formavit, sed quod benedictio conservavit: majoremq; vim esse benedictionis quā nature, quia benedictione etiā natura ipsa mutatur. Et li. 4. de sacramentis cap. 4. Author Sacramentorū quis est, inquit, nisi dominus Iesus? tu forte dicis, meus panis est usitatus, sed panis iste, inquit, panis est ante verba Sacramentorum: ubi accessit consecratio, de pane fit corpus Christi, hoc igitur astruamus. quomodo potest qui panis est, corpus esse Christis

consecratione, inquit. Consecratio igitur quibus verbis est, &  
 cuius sermonibus? Domini Iesu, nam reliqua omnia, qua-  
 dicuntur, laus Deo defertur, ubi venit ut conficiatur  
 venerabile Sacramentum, jam non suis sermonibus sacer-  
 dos, sed utitur sermonibus Christi, Ergo sermo Christi hoc  
 conficit Sacramentum. Quis sermo Christi? nempe is quo  
 facta sunt omnia, iussit Dominus, & factum est cælum, &  
 cap. 5. Antequam consecretur, panis est: ubi autem verba  
 Christi accesserunt, corpus est. Denique audi dicentem: Ac-  
 cipite & edite ex eo omnes, hoc est corpus meum; & ante ver-  
 ba Christi calix est vini & aqua plenus, ubi verba Christi  
 operata fuerint, ibi sanguis efficitur qui plebem redemit.  
 Ergo videte quantis generibus sermo Christi potens est uni-  
 versa convertere. Hactenus Ambrocius, qui ad ecclesias ad-  
 huc alijs multis sententiam suam tam manifestam,  
 ut non posset de illa dubitari, sicut nec de sententia reliquo-  
 rum veterum quibus has questiones tractauerunt quibus si cum  
 Euangelio cum totius Ecclesiae testimonio non creditur, sed  
 verba scripture manifesta ad inusitatū tropum detorquen-  
 tur, non erit mirum si etiam verbis meis non credatur, cum  
 nemo credat nisi volens, nec quisquam credere velit nisi cui  
 dedit Deus ut velit. Porro quod vox Graeca dicitur, quam  
 interpres noster vertit testamentum; sicut & Hebreæ, sa-  
 binde vertatur fœdus, nihil huic disputationi præjudicat:  
 quia lucet per se posita fœdus significet, attamen morti vel  
 sanguini iuncta proprie testamentum signis. cat, sicut os-  
 tendit Apostolus ad Galatas 3. &. ad Hebreos cap. 9. Simi-  
 liter quod ait Apostolus 1. ad Corinth. 10. Panis quem  
 frangimus nonne participatio corporis Domini est? elicit sit  
 verum quod is panis qui facta benedictione frangitur &  
 fidelibus participatur, sit corpus Christi, in quod per conse-  
 crationem

orationem mutatus est panis, qui a sacerdote ad benedicendum accipitur: non tamen vult ibi Apostolus dicere, quid sit panis qui frangitur, sed quid participatione hujus pams significetur & efficiatur, nempe ut multi unum corpus sumus, omnes qui de uno pane & de uno calice participamus, sicut ipsum explicat Apostolus, & Apostolum D. Cyprianus in epist. ad Magnum, cuius verba etiam refert Augustinus lib. 7. contra Donatistus cap. 50. Ex his facile est respondere sequentibus aliquot questionibus, nempe:

6. An pronomen *hoc* aliud significet quam id ipsum quod uno ore omnes Euangelistæ testantur, Christum accepisse, fregisse, dedisse discipulis, ac iussisse ut acciperent & comederent?
7. An Paulus 1. Cor. 10. quum hunc panem nominat, & panem quem frangimus disertè explicat, aliud sacramenti subjectum statuat atque Christus, vel ipse Paulus (1. Cor. 11.) pronomine *hoc* velit significari, quod omnes Euangelistæ testantur fuisse panem quem Christus fregit & dedit, & de quo denique loquutus est?
8. An in propositione de calice non eadem sit subjecti ratio atque in ea quæ est de pane, ac proinde quū subjectum in propositione & oratione de calice non solum demonstretur pronomine *hoc*, sed plane & disertè nominetur ~~et hoc est ipso~~, vel fructus ac gemmæ vitis, an non eadem sit ratio in pronomine *hoc*, quod usurpatur in propositione de pane: ita ut *hoc* idem significet, quod, hic panis, vel hic fructus tritici de multis granis coadunatus.

*His, inquam, questionibus facile est ex dictis responderes*

nam cœnantibus Apostolis, inquit Matthæus, accepit Iesus panem usitatum videlicet, quia tunc ibi panis alius non erat, & eundem panem benedixit; sed quod fregit deditque suis discipulis, aicens, Accipite & manducate; non fuit panis usitatus, sed benedictione in corpus ejus mutatus, sicut ipsemet est testatus, dicens: Accipite & manducate, hoc est corpus meum: non enim ait, accipite panem & comedite panem, sicut de ipso prius ait Euangelista, Accepit Iesus panem sed ait: Accipite & comedite, hoc est corpus meum.

Iussit ergo ut acciperent & comederent, non panem usitatum, de quo prius locutus est Euangelista, dicens: Accepit Iesus panem: sed panem benedictum, de quo dicit: Hoc est corpus meum, jam videlicet ex pane benedicendo confectum. Similem loquendi modum securus est Apostolus 1. Corint. 11. cum ait: Dominus Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens: sub quo intelligitur, benedixit, sicut expresserunt Matthæus & Marcus, fregit, & dixit, accipite & manducate, hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur: que verba simil modo accipienda sunt, quomodo supra ostendimus verba Matthæi accipi debere. Dico igitur ad primam questionem jam propositam, quod pronomē hoc in Christi verbis aliud quidem significet quam quod uno ore omnes Euangelista & Apostolus 1. Corinth, 11. testantur, Christum accepisse, sed non aliud significet quam idem testantur Christum discipulis dedisse, & iussisse ut acciperent & comederent: significat enim corpus Christi ex pane confectum benedicendo, sed non significat panem usitatum, quem omnes Euangelista testantur Christum accepisse. Ex quo intelligimus verba hac accipite & comedite non debere construic平 nomine panem quod processit, cum ait Euangelista, Accepit Iesus panem, sed cum eo quod sequitur

tur hoc est corpus meum, vel cum eo quod intelligitur,  
ut sit sensus: accipite corpus meum, vel, quod in idem redit,  
accipite panem benedictum & consecratum.

Porro ad id quod secunda questione proponitur: An  
Paulus 1. Corinth. 10. cum nominat panem quem frangi-  
mus, aliud Sacramenti subjectum statuat quam Christus  
vel ipse Paulus 1. Corinth. 11? Respondeo quod Paulus cap.  
supradicto idem sacramenti subjectum statuat cum eo quod  
statuit Christus apud Mattheum, cum ait: Accipite & co-  
edite, hoc est corpus meum. Nam subjectum sacramentii  
statuit verum Christi corpus, quod translato nomine pa-  
nem appellat, quia ex pane confectum, & speciebus panis  
velatum: quam nominis translationem maniferte significat  
ipsa sermonis circumstantia, cum dicitur (panis, quem fran-  
gimus: & omnes qui de uno pane participamus) nam om-  
nibus fidelibus notissimum est in altari neque frangi neque  
participari panem nisi benedictum, & in corpus Christi be-  
nedictione conversum: Sed sacramenti subjectum non sta-  
tuit panem usitatum, quem Euangelista dicit Christum ac-  
cepisse.

Ad tertiam questionem respondeo, id quod apud Euangeli-  
stas & apud Apostolum 1. Corinth. 11. de calice dici-  
tur, eodem modo accipiendum sicut id quod de pane dici-  
tur, nempe quod ubi narratur accepisse calicem, ibi intelli-  
gendas sit accepisse calicem vini & aquae plenum, sicut ait  
Ambrosius: ubi vero verba Christi operata sunt, hoc est, ubi  
post benedictionem ait: bibite ex hoc omnes, ibi non est in-  
telligendas porratisse vinum & aquam, sed suum sanguinem  
qui plebem redemit, & de quo dicit, hic est sanguis meus  
novi testamenti. Quod vero apud tres Euangeliistas dicitur  
de genimine vitis, videtur potius referendum ad pocu-

*tum Pascha veteris, quam novi, sicut Lucas non obscure significat.*

*Quaritur deinceps:*

9. Si subjectum positum in hac propositione *hoc est corpus meum*, mutatur vel mutatum fuit à subjecto panis quod Euangeliæ testantur Christum accepisse, fregisse, & deditse &c. quando mutatum fuit, qua vi, quo Domini mandato, quo divini verbi argumento?

*Respondeo, subjectum positum in hac propositione, hoc est corpus meum, non mutari, quia subjectum istud corpus Christi est, a quo in Sacramento nulla fit mutatio; sed panem quem accepit Iesus dicimus mutatum esse in corpus ejus, quando benedicendo & consecrando panem, ait, hoc est corpus meum mutatum, inquam, virtute verborum ejus: nam, ut ait Ambrosius de ijs qui initiantur cap. 9. Si tantum valuit humana benedictio, Elizei videlicet facientis ferrum naturæ, ut naturam converteret, quid dicimus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Salvatoris Domini operantur? nam Sacramentum istud quod accipis, Christi sermone conficitur. Quod si tantum valuit sermo Heliæ ut ignem de caelo deponeret, non valebit sermo Christi ut species mutet elementorum? De rotius mundi operib. legisti: Ipse dixit, & facta sunt: ipse mādānit et crea-  
ta sunt. Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quæ sunt in id mutare quod non erat? nō enim minus est novas rebus dare quam mutare naturas, & lib. 4. de sacramentis c. 4. Sermo Christi, inquit, hoc cōficit Sacramentum; quæ autem sunt verba Christi quibus hoc sa-  
cramentū conficitur, exponit c. 5. dicens: Omnia illa verba Euangeliæ sunt, usque, accipite siue corpus, siue sanguinem;*

*inde*

inde verba sunt Christi, audi dicentem, hoc est corpus meum & ante verba Christi, calix est vini & aquæ plenus, ubi verba Christi cooperata fuerint, ibi sanguis efficietur qui plebe redemit. Ecce habes quod verbum, accipite, non construatur cum nomine panem, sed cum nomine corpus & sanguinem, sicut supra diximus. Habes secundo, non quando subjectum positum in hac propositione, hoc est corpus meum mutatum, sed quando mutatus sit panis, quem cœnantibus Apostololis accepit Iesus, nempe quando dixit, hoc est corpus meum : Habes qua vi, & quo Domini mandato mutatus sit panis, nempe virtute verborum Christi, quibus dixit & facta sunt, ipse mandavit & creata sunt. Habes & quo divini verbi arguento, nempe arguento verborum Christi, quibus apertissime dixit hoc est corpus meum : nam quia mentiri non potuit, oportet ut ex pane quem accepit id fecerit quod dixit, videlicet, hoc est corpus meum, ne convincatur falsum fuisse quod dixit.

Quaris etiam:

10. Quæ sit analogia unionis corporis Christi cùm Ecclesia, declaratæ i. Cor. 10, si nulla est vel panis vel vini reliqua substantia?

#### R E S P O N S I O.

Hanc analogiam explicat Augustinus libro 7. contra Donatistas cap. 50. verbis D. Cypriani, quæ sic habent: Quando Dominus corpus suum panem vocat de multorum granorum adunatione congestum, & quando sanguinem suum vinum appellat de botris atque acinis multis expressum, atque in unum coactum: gregem item nostrum significat conjunctione adunate multitudinis adunatum: nam quemadmodum panis ex quo corpus Christi conficitur, quod interdum etiam panis vocatur, ut panis quem fran-

gimus: quemadmodum, inquam, panis ex granis in unum adunatis conficitur, & quemadmodum vinum ex multis acinis in unum confluentibus coalescit: siceriam mysticum Christi corpus, quod per hoc Sacramentum significatur & coit, ex dispersis Dei filiis colligitur, qui per fidem & dilectionem in unum corpus adunantur. Nec huic analogie obstat quod in confectione Sacramenti nulla est panis aut vini reliqua substantia: quia nec remanet ipsa granorum aut acinorum forma, ex qua tamen sumitur potissima hujus analogiae portio, quia analogia sumitur non ex substantia qua in ipso sacramento permanet, sed ex ea quae in pane & vino praecessit, ex quibus sacramentum ipsum conficitur.

Vtima questio sic habet;

**II.** Quomodo veteres docuerunt eandem aut similē esse transformationem panis & vini in corpus & sanguinem Christi, qualis erat aquæ admixta vino in populum Christi, ejus corpori per fidem conglutinatum?

#### RESPONSIo.

Hanc questionem moveri puto occasione verborum beati Cypriani in epistola 63. quæ est ad Cecilium, ubi sic habet: Quando in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur & credentium plebs ei in quem credidit copulatur & conjungitur, & infrà: Sic autem in sanctificando calice Domini offerri aqua sola non potest, quomodo nec vinum solum potest: nam si vinum tantum quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis: si vero aqua sit sola plebs incipit esse Christo: quando autem utrumque miscetur, & adunatione confusa sibi invicem copulatur, tunc sacramentum spiritale & cœleste perficitur. Quibus verbis non continetur ea comparatio qua in questione exprimitur,

nempe

nempe quod talis sit transformatio panis & vini in corpus & sanguinem Christi, qui si est aqua vino permista in populum Christi: sed tantum exponitur quid sacrificium ex vini & aqua commissione confectum significet & efficiat: nempe ut quemadmodum sacrificium ex aqua vino permista conficitur, sic etiam Christus & plebs ejus in unum corpus coadunetur, non Christum mutando in perversos plebis affectus, sed reformato plebem, ut cum Christo quae Dei sunt sapiat, & deposita pravitate spiritum Christi induat. Nam & ipsa vini & aqua mixtio sic temperatur, ut non vinum in aquam, sed aqua in vinum convertatur, & hoc modo invicem copuletur. Quod si forte quæstio haec alia veterum dicta respiciat qua mihi non occurruunt, cuperem illa designari, ut si Deus largiretur, possit eis conveniens adhiberi responsio. Bene vale Lovanij 26. Novemb. 1577.

Tuus Mich.de Bay.

AMPLISS. VIRO D. MICHAELI  
BAIO ACADEMIAE LOVANIBNSIS  
Cancellario & Theologiae professori, Philippus Mar-  
nixius Sanctaldegondius S.



Espositionem tuam ad posteriores meas  
quæstiones Amplissime D. Cancellari,  
quaæ mihi Antuerpia Bruxellam reverso  
tertia Decembris fuit redditæ, diligentissi-  
mè perlegenti, & firmum ac stabilem in ea gradum  
quaréti, ubi assensionis pedem figerem, illud obsti-

C v.

tit,

tit, quod orationi quæ secum ipsa dissentiret non videbam quomodo nisi reclamante conscientia possem assensum præbere. Nec enim, ut verum fateat, quivi vel ratiocinacionis tuæ firmamenta quibus essent connexa vinculis cernere, vel quæ secum ipsa discrepabant (qualia erant meo certè judicio magni momenti permulta) inter se conciliare. Vno loco asseveras propriâ consuetam & usitatam verbi **E S T** significationem esse tam Græcè quam Latinè, ut designet substantialitatē, & in ea significatione ab initio nascentis Ecclesiæ semper ab omnibus nostris majoribus fuisse acceptā. Ita ut mireris me quærere, quo argumento doceatur in nostra quæstione significare substantialitatem, facere enim instar eorū, qui rogare solent cur aliquis per publicam & consuetam viam ambulet. Et tamē altero loco idem tu dicis: verbum **E S T** accipi bifariam: Aliquando usurpari intentione afferendi id quod est quando incipit propositio enuntiari, aliquando nō intentione afferendi id quod est, sed intentione faciēdi id q̄ ejusmodi enuntiatione significatur, id est, faciēdi ut sit quod nō erat, & tū primū cùm enuntiatio prolata fuerit esse incipiet. De priori quidē significatione nulla certè est dubitatio: agnosco enim genuinā & usitatā vocis notationem. Posterioris autē mihi ne fando quidem unquam auditæ, ne unum quidem exemplum profers. Dicis quidem ejusmodi sermonibus aliquando apud juris consultos intelligi dominiorum & possessionū fieri translationē. Sed nullo exemplo id firmas. Et tamē si verum esset, quoniā omnino tibi necesse est fateri id aliquando tantum, & valde impropriè fieri, ac proinde am-

de ambiguitate non carere, jam relicta via regia & plana in diverticula te prorepisse palam constaret. Nam illa exempla quibus peccata remitti declarantur, quia eo ipso momento quo proferri incipiunt planè sunt verissima, vel tuo ipsius judicio nihil habent simile. At verò ista tua quæ producis: ut si de aqua dictum esset; *hoc est vinum*, & de lapide *hoc est panis*: quia omnino dicta non fuerunt, & non rei veritate, sed nuda imaginatione existunt, respōsione haud indigent. Nam si dicta essent, omnino vel à genuina & propria significatione verbi est longissimè deflexum esset, vel certè vera esse non potuissent, nisi jam ante alia quapiam vi facta fuisse mutatio & quidem alijs verbis, designaretur. Verbum enim est quum indicativo modo & præsenti tempore enuntiatur, non dare rebus naturam, multo minus in aliam immutare, sed tantùm notare & declarare quid sit id de quo dicitur, & quidem eo ipso momento quo profertur, omnes norunt qui vel ab uberibus maternis balbutire didicerunt. Quod cum ipse tu pro optimo tuo judicio animadverteres & planè inficiari non posses (vide quanta sit vis veritatis) ipse te confessim à via regia in aspera certè atque horrida humanisensus vel (ut Pauli verbis utar) *τοῦ νόσου τῆς οὐαὶς* senticeta deflexisse prodis. Ais enim: Si verbum est in hac quam constat esse propriam consuetam, atque omnibus linguis, nationibus, seculis denique usitatam significationem, hoc loco retineatur, intelligaturque panis & vinum quæ tunc erant præsentia eo ipso momento quo hæc dicerentur esse id quod Christus ipse asseverat esse: corpus, inquam, suum & sanguinem,

44 D. S A N C T A L D E G O N D I V S  
nem, planè falsum fore quod Christus dixit. Ac pro-  
inde ut Dei filium, ipsam inquam veritatem à tam  
turpi nota mendacij vindices: obtrudis novum & ab  
Euangelistarum verbis alienissimum commentum:  
Hæc enim tua sunt verba: Non intendit Christus af-  
ferere quod panis & vinum quæ tunc præsentia  
habebat cùm hæc incipiebat dicere, essent corpus  
& sanguis ejus, quia id falsum est. Sed ne falsum di-  
ceret, omnino credendus est intendisse ex pane & vi-  
no corpus & sanguinem suum efficere. Quæso te mi-  
Domine an hæc est via regia & plana incedere, cùm  
doceas, omnino non esse atque adeò falsum esse id  
quod Christus ore suo sacrato jamjam mpriturus ac  
proinde testamentum condens revera esse sanctissi-  
mè asseverat, novoque atque importuno commen-  
to in ea nos diverticula deducas, in quæ jam multis  
retro seculis infinitos viros magnos, pios, eruditos  
ut contra conscientiæ ac veritatis testimonium de-  
flechterent, non ignis, nō cruce, non gladij, non car-  
ceres, non aculei, non denique acerbissimi cruciatus  
cogere unquam potuerunt? Sed quid ego illos testes  
laudem? Ipse tu in tua hac respōsione, quasi conscienciam  
reclamantem persentiscens, ex his anfractibus  
conaris te recipere, & aliam sed nihil planiorem tibi  
viam sternere. Paulò enim post ipse tecū dissentiens  
asseveras: verba hæc *accipite & comedite* non debere  
construi cum nomine *panem* quod præcessit, cùm ait  
Euangelista: *Accepit Iesus panē*: sed cum eo quod  
sequitur: *hoc est corpus meū*, vel cū eo quod intelligitur,  
ut sit sensus: *accipite corpus meum*; vel quod in idem  
redit: *accipite panem benedictum & consecratum*  
&c. Et

&c. Et planè vis, quod & ipse disertis verbis explicas, quod accepit Iesus & benedixit, fuisse panem: quod verò fregit & dedit discipulis suis, & de quo dixit accipite comedite hoc est corpus meum: non fuisse panem sed corpus ejus. Nam quod utrobique adjicis vel usitatum vel benedictum, nihil officit sententiae, neque potest nebulas tua verba penitus insipienti offundere. nec enim controvertitur an panis sit usitatus vel nō usitatus, & benedictus an nō benedictus sed an panis sit, aut nō panis. De substâlia, nō de qualitate aut accidétiib. est omnis cōtroversia. Alioqui si fateteris post benedictionē remanere panem & quidem substantia, sed benedictum, neminem nostrum haberes repugnantem. Itaq; clarè, nudè & ~~xamysq; nās~~ explicanda nobis est tua ista sententia, quæ alioqui sub illis involucris benedicti & usitati, tanquā quibusdā nebulis caliginosis delitescīt, & ad rem ipsam veniendum. Vides itaque, si panis acceptus & benedictus non amplius est panis substantia, sed factum benedictione ipsissimum Christi corpus, jam etiam antequā eum frangeret & daret discipulis, & illis verbis: *Hoc est corpus meum*, uteretur: Vides inquam quām inanis fuerit ille tuus metus quum vererere, ne falsum dixisse videretur Christus nisi ejus orationem cōmento illo de nova verbi ~~es~~ & significatione à falsi crimine vindicasses. Etenim si panem benedicendo jam fecerat suum corpus antequā diceret esse, procul dubio est verissimum, quod tu dicis, esse falsum, eum nimirum sequentibus illis verbis *hoc est corpus meum*, voluisse afferere quod panis & vinum, quæ tunc præsentia habebat, cūm hæc incipiebat di-  
~~cendit~~ cere

cere essent corpus & sanguis ejus. Hic tu jam obsecro  
 vir amplissime collige te paulisper, atque abjecta  
 omni præjudicata opinione & veritati locum & Deo  
 gloriam tribue. Dum enim ut tuam sententiam sta-  
 bilias, Christum Dei filium falli coarguis: ne tu ina-  
 nibus te irretiens paralogismis tecum ipse manifeste  
 pugnans deprehenderis. Itaque ignosce queso si tuis  
 verbis credere non possum, que tu ipse paulo mo-  
 mento aperte jugulas. Verum enim verò si benedic-  
 tionis vi panis usitatus in corpus Christi est trāssub-  
 stantiatus, que tandem fuerunt illa benedictionis  
 tam efficacia verba? Profers tu quidē ex Ambrosio:  
**C**hristum suis verbis elementa posse omnia commu-  
 tare. Damus libenter. Dicis etiam sermonem Christi  
 hoc confidere sacramentum, et id concedimus: Sed  
 cedo quibus verbis est usus ut id ficeret? si dicis be-  
 nedictione que præcessit & fractionem & verba sa-  
 cramenti: ergo non jam fit illis verbis sacramenti que  
 sunt in controversia, & que in consecratione profe-  
 runt sacerdotes, ac proinde de significatione verbi  
 es t nulla restat ambiguitas. Tantummodo incum-  
 bit tibi probandum, σύλλογον & σύχαρισμόν, quib. indiscri-  
 minatim utuntur Euangeliſtę, significare, vel usquā  
 gentiū unquā significasse (magos ac præstigiatores  
 semper excipio) mutationem unius substantiæ in al-  
 teram. Ego quidem hactenus ex scriptura dedice-  
 ram σύλλογον, atque σύχαρισμόν in ejusmodi argumento  
 prorsus idem significare quod gratias agere vel bene-  
 precari, & Dei laudes pro beneficijs in nos collatis  
 celebrare. Hanc ego statuebam esse viam regiam,  
 planam, usitatam: tamen si habes argumentum, ra-  
 tionem,

tionem, aut scripturam, qua probes significari his  
 verbis *μεταμόρφωσιν* seu transubstantionem & quidem  
 vani & corruptibilis omniꝝ motu & vita carentis  
 elementi in ſacrolanctum atque incorruptibile &  
 planè divinū Christi filij Dei corpus, quod ad dex-  
 teram Dei patris æterna atque omnem humanum  
 mentis captum ſuperante gloria decoratum ſedet, ne  
 graveris producere. Habebis me docilem atque ob-  
 sequiosum auditorem, nec erit opus in latebras du-  
 plicis ſignificationis verbi aſt configere. Sed si te  
 dicis non posſe niſi verbis illis ſubſequentibus: *hoc eſt*  
*corpus meum*: quod intendis probare: quid hoc eſt  
 aliud quam actum agere, & ut loquuntur logici, pe-  
 tere principium? Quod enim unum eſt in contro-  
 versia, id unum tu sumis quaſi concessū confessum  
 que pro argumentationis tuę unico firmamento,  
 quod & iſum ſi dederο nihil effeceris, quia tum de-  
 nuō tibi restabit demōstrandū: ecquibus ergo ver-  
 bis Christus consecraverit, ut videlicet non jam ſuis  
 ſed Christi verbis reliqui conſecrent ſacerdotes, et  
 ita rursus omnis vefra transubſtantatio colla-  
 tur: Deinde definiendum etiam erit, quomodo  
 Christus ſuum ipſe corpus fregerit, quod universa  
 testatur ſcriptura ſemel tantum non a ſcipſo ſed a Iu-  
 dæis, nec in Cœna ſed in crucis ara fractum & morti  
 ac ſepulture traditum, ac tertia die a morte excita-  
 tum in cœlos adſcendiffe, nec aliunde niſi ex cœlis  
 eſſe venturum. Vides arbitror pro tua prudentia &  
 judicij limatissimi ſinceritate, vir apliſſime, in quoſ  
 te laqueos conjeceſis, dum te, a veritatis Euangelicæ  
 recte atque indubitato tramite aberras, in Scholas-  
 ticorum

ticorum improbata atque anfractuosa diverticula proripiasti. Ipse tu igitur iudex jam esto, an immerti per cunctatus fuerim quo argumento doceretur, vocem est in nostra quæstione significare substantialitatem. Nam si negas illis verbis *hoc est corpus meum* fieri transsubstantiationem, quia jam non ad panem sed ad corpus ex pane confectionum referantur, quemadmodum uno loco doces: haud erit necesse (fateor) quæ rere id quod quæro, tum enim nativa, propria, & consueta significatione sua, verbū est per se satis innuet quod queratur, sed omnino efficietur vel nullam esse planè transsubstantiationem, vel alijs fieri verbis quam ijs de quibus tantopere gloriantur transsubstantiationis architecti atque propagatores. Sin autem asseveras ijs penitus verbis fieri transsubstantiationem, (quemadmodum certatim omnes contendunt qui se catholicæ Romanæ ecclesiæ alumnos esse profitentur) jam utique docendum restat quo argumento possis probare, verbum est desistere significare id quod sua natura semper post homines natos omnibus linguis, nationibus ac seculis sine cōtroversia significavit, & illā suam significationem in verbum fieri commutasse. Argumentum enim illud quod profers ab absurdo: quia alioquin falsum esset quod Christus dixit, ita est ipsum absurdum ac falsum, & (ignosce quæso si veritatis zelus asperius verbum extorquet) cum blasphemia conjunctum, ut propemodum legens totus inhorruerim. Et tamē nititur omnis tua responsio hisce fundamētis, quæ quam firma sint puto te videre, et jam mihi esse æquiorē quod verbis tuis credere non possum,

in, à quibus, utpote quæ nullum habeant firmamentum, video te ipsum quoties lubet dissentire.

Sed quæris tamen quo ego argumento seu ~~ut op~~  
doceam, verbum est in nostra quæstione debere accipi sacramentaliter, seu, ut tu vocas, significativè. Refugissem sanè lubens hoc genus orationis: volo enim discere, non docere. Sed tamen quia postulas, non tacebo, præsertim non nescienti, aliquando parvulis suæ mysteria revelare Deum quæ vel doctissimis abscondit. hoc est igitur nostrum argumentum:

Quotiescunq; in sacramentorum institutione rebus aut elementis terrenis atque aspectabilibus, quæ pro sacramentis usurpantur, cœlestium aut spiritualium rerum nomen per verbum est attribuitur, ad easipas revera nobis exhibendas atque oculis fidei representandas, toties verbum est non demonstrat substantiam, quia non adhibetur ut explicet quid sit id quod oculis ac manibus corporeis propонitur, sed planè declarat quid fidei ac mentis oculis & manibus detur ac revera exhibatur. Hæc est major propositio, quam certè existimo esse ~~æquum~~  
perpetuum atque indubitatum. Sequitur altera: In his Christi verbis *hoc est corpus meum*, rebus terrenis, pani nimirum & vino per pronomē *Hoc* demonstratis (quæ omnes uno ore Euangelistæ testantur Christum accepisse, fregisse, dedisseq;: quæque universa Ecclesia ab initio nascentis Christianismi confessa est esse saramenta, typos & mysteria corporis & sanguinis Christi) tribuitur nomen ipsum corporis & sanguinis per verbum est: seu tribuitur nomen fœderis seu testamenti in corpore & sanguine Domini

mini per verbum est : Ergo verbum est eo loco non demonstrat quæ sit substantia ejus rei quæ oculis ac manibus corporalibus exhibetur : nempe an panis sit & vinum, an corpus & sanguis, an verò testamentum in sanguine substantialiter : Sed tantum demonstrat quid sit illud quod illis sacramentis exhibetur oculis & manibus fidei spectandum atque apprehendendum : nempe corpus & sanguis Christi quæ pro nobis fuere in ara crucis ad nostram salutem tradita atque effusa , vel novum testamentum vel novum foedus in corpore & sanguine Domini Iesu Christi sanctum : Ut scilicet illo sacramento sciamus, intelligamus , & nihil addubitantes tanquam oculis cernamus,nos revera esse participes ejus corporis & sanguinis : ac proinde cum illo indissolubili nexu sanctissimi foederis copulatos . Vel ut verbis concilij Nicæni argumentum concludam : Ergo non debemus intenti hærere in proposito pane & poculo, sed elevata mente per fidem considerare in sancta illa mensa agnum Dei. Velsi mavis verba Augustini : Ergo quum in hoc sacramento non minus quam Iohannis cap. 6. jubeatur accipere & manducare ejus corpus , figura est præcipiens passionis Domini esse communicandum , & suaviter atque utiliter reconendum in memoria, quod pro nobis caro ejus crucifixæ & vulneratæ sit , nisi volumus , quod graviter ab eodem Augustino reprehenditur , sub signo servire operantes aut venerantes aliquam rem significantem, nescientes quid significet . Ac proinde Christus ipse nos huc manifestè revocans jubet hoc ipsum nos facere in sui commemorationem, & Paulus docet

docet nos quoties id fecerimus mortem Dominian-nuntiare, quod nihil est aliud, nisi id ipsum quod ex Augustino diximus, suaviter in memoria recondere quod caro ejus pro nobis crucifixa & vulnerata est. Atque hoc est planè ipsum illud quod alibi ait Pau-lus; Panem quem frangimus (hīc nihil ambigitur de substantia panis, nec enim aliud quippiam frangi-mus nisi panem) esse ~~conuic~~<sup>conuic</sup> veri corporis Christi: & Calicem cui benedicimus, id est quem sumendo be-neficium Domini in morte Christi nobis datum ~~est~~<sup>est</sup>, atque ~~celebra~~<sup>celebra</sup>mus ) esse ~~conuic~~<sup>conuic</sup> ejus sanguinis. Etenim quum hæc Christus institue-ret, hand utique ambigebatur quid esset panis quo-ad substantiam, sed quorsum à Christo in manus sumeretur, frangeretur, distribuereturq; : nimirum ut quoad usum, institutionem ac repræsentationem discipulis esset ipsi simum Christi corpus. Nec enim panis substantiæ ullam volebat Christus novam cō-ferre dignitatem, multoq; minus ejus accidentibus omni substantia exutis suū corpus quasi nova quadam incarnatione unire & glutinare: Sed fidelem si-bi populum quem sanguinis effusione & fractione corporis erat jamjam redenturus, hoc significantissimo sacramento secum in æternæ vite societate ac divinitatis participationem conjungere , Hoc est enim(ut in Euangelium Ioannis tractatu 26. scribit Augustinus,) manducare illam escam & illum bibere potum,in Christo manere , & illum manenter in se habere. Ac per hoc qui non manet in Christo & in quo non manet Christus, proculdubio non mandu-cat spiritualiter carnē ejus, nec babit ejus sanguinem,

licet carnaliter & visibiliter premat dentibus sacramentum corporis & sanguinis, sed magis tantæ rei. sacramentum ad judicium sibi manducat & babit &c. **Quid ergo est?** An non revera panis est corpus Christi? Est sanè & quidem verissimè. & tamen non substantia, nec quoad substantiam; quemadmodum nec verbum Christi, Dei est verbum vel Dei voluntas quoad substantiam, sed quoad usum, institutionem, significationē, ac vivam ante oculos fidei representationem. Verissimè tamen enuntiatur, verbum ex Christi ore prolatum, esse verbum Dei. quemadmodum verissimè dicitur, panem in cœna à Christo in eum finem quem diximus sumtum, esse ipsissimum Christi corpus. Sed quia ejusmodi enuntiationes nō ad substantiam rei de qua quæritur declarandam, sed ad vim, usum institutionisque significationem explicandam usurpantur: ideo verbum est quo attributum conjungitur cum subjecto, non potest ad substantiæ ullam immutationem quæ hīc minimè spectatur referri, sed ad significandum id quod est in dicentis mente atque intentione. **Quemadmodum in arcu cœlesti,** non disputatur à Mose quid sit arcus, aut unde componatur, aut in quid mutetur & transsubstanietur (nam Philosophis has relinquit disputationes) sed quorsum à Deo usurpetur instituatūr que? nimirum ut sit certum atque indubitatum signum fœderis divini cum genere humano. In Circuncisione item non spectatur quid sit circumcidere præputium, quod ad substantiam vel cultelli vel præputij attinet: sed quorsum ejusmodi signum instituatur. ac proinde ipsum circumcidere verè dicitur esse

esse fœdus inter Deum & Abrahamum ejusque se-  
men. Et verè dicit Dominus pactum suum esse in  
cárne Abrahámi in fœdus sempiternum. Similiter in  
Baptismo non quæritur quid sit substantia aquæ: sed  
quorsum illa nobis aqua fuerit data atque instituta,  
quò denique illa baptizandi spectet ceremonia. Ita-  
que verè dicitur illa ipsa aqua esse ablutio sanguinis  
Christi, quia peccatorum fôrdes in credentibus elu-  
untur. Et verè in Baptismo Christum induisse, &  
cùm eo cōsepulti esse dicimur. Non ait (ut Augusti-  
ni verbis utar) sepulturam significamus, sed prorsus  
ait consepulti sumus. Sacramentum ergo tantæ rei  
non nisi ejusdem rei vocabulo nuncupavit. Sunt hæc  
ita plana, aperta, irrefragabilia, ut nihil ambiguum,  
nihil hiulcum, nihil occurrat protuberans; & tamen  
probentur categoricè! Et primum quidem major  
propositio. nam de minori nulla potest esse dubita-  
tio. Quotiescunq; in sacramentorum, hoc est, sacro-  
rum signorum institutione, rerum signatarum (qua  
ferè solent esse cœlestes atque spirituales) nomina tri-  
buuntur rebus signantibus (qua sunt terrenæ atque  
visibiles) per verbum & s r, toties non designari sub-  
stantiam rerum significantium, sed usum, institutio-  
nem atque repræsentationem: alioqui non essent sa-  
cramēta, sed μιταμοεφάτες vel μιλεσίαι seu transubstan-  
tiationes. Probatur exemplis, ratione, scripture &  
testimonij s. Exempla suppetunt infinita tum in re-  
bus civilibus ac prophanicis, tum in divinis ac cœlesti-  
bus. Quod enim in divinis ac sacris sunt sacramenta  
idem in prophanicis ac civilibus sunt signa atque ce-  
remonie. Quotiescunq; dicitur de annulo, vel de

porrecta manu, hæc est fides quam tibi do; designatur non quæ sit substantia manus vel annuli, sed finis ac scopus significationis seu repræsentationis propter quam datur porrigitur. De insigni aurei velleris dicitur esse ordo regius seu *Opere regia*, sive dominus Burgundice. Desceptro ac diademate dicitur esse regnum: Defascibus, cruce & lictoribus, dicitur esse justitia prætoris. Quia loquendi formula nihil est vulgarius, nihil planius. Ita Christus dicit Ioanni, hæc est mater tua: matri Mariæ, hic est filius tuus. non quidem transsubstantiatione (& tamen poterat rerum creator verbo efficere quidquid vellet) sed in institutione, significatione, ac repræsentatione.

Sed malo hæc verbis Bernardi viri sua ætate facilem omnium præstantissimi, quām meis declarare: ut si veritati pondus adferre potest dicentis auctoritas, non jam mihi, licet vera dicenti, propter me, sed Bernardo credatur. Hæc igitur sunt ejus verba, hoc ipsum argumentum ex professo tractantis in Sermone de cæna Domini: Sacramentum dicitur sacram signum sive sacram secretum. Multa siquidem fiunt propter se tantum, alia vero propter alia designanda, & ipsa dicuntur signa, & sunt, Ut enim de usualibus sumamus exemplum, datur annulus absolutè propter annulum, & nulla est significatio: datur ad investiendum de hereditate aliqua, & signum est: ita ut jam dicere possit qui accipit, Annulus non valet quicquam, sed hereditas quam querebam. In hunc itaq; modum, appropinquans passioni Dominus, de gratia sua investire curavit suos, ut invisibilis

sibilis gratia signo aliquo visibili præstaretur. Ad,,  
 hæc instituta sunt sacramenta omnia : ad hæc Eucha-,,  
 ristiae participatio : ad hæc pedum ablutio : ad hæc,,  
 deniq; ipse Baptismus initium sacramentorum om-,,  
 nium: in quo cōplantamur similitudini mortis ejus. ,,  
 unde & trina mersio tridui quod nunc celebrandum,,  
 est formam gerit. Sicut enim in exterioribus diver-,,  
 sasunt signa: & ut cepto immoremur exemplo variae,,  
 sunt investituræ secundum ea de quibus investimur,,  
 verbi gratia , investitur canonicus per librum , abas,,  
 per baculum , episcopus per baculum & annulum,,  
 simul: Sicut inquam in hujusmodi rebus, sic & divi-,,  
 siones gratiarū diversis sunt traditæ sacramentis &c. ,  
 hactenus Bernardus, qui nostram certè omnem senti-  
 tiam hoc suo calculo ita disertè comprobavit, ut  
 nihil addi potuisse, etiamsi de industria transsub-  
 stantiationis doctrinam voluisse jugulare. Sed quid  
 opus est in re tam clara unius Bernardi testimonio?  
 Pleni sunt omnes Grammaticorum, pleni Philoso-  
 phorum, pleni Iurisconsultorum libri ejusmodi lo-  
 cutionibus, atque in omni nostra vita nihil occurrit  
 frequentius, nihil usitatius. Quid enim andimus in  
 civili hominum societate crebrius, quam hoc quod  
 dico, quod scribo, quod enuntio, hæc tabule, hoc di-  
 ploma, hæc syngrapha vel est regis edictum, vel est  
 lex & voluntas populi, vel privilegium civitatis, vel  
 est mea obligatio, vel denique est mea mens atque  
 sententia, seu ultima voluntas. Hic codex est novum  
 testamentum, hic liber est vita Imperatorum, vel  
 fœdus populorum, non quidem sua substantia, de  
 qua non laboramus, (nihil est enim aliud si illam

species nisi vel sonus percussi aëris vel charta notis characterum exarata) Sed significatione, usu, fine, atque institutione seu intentione, ad quam exprimendam representandamque sive verba sive characteres usurpantur. In sacris rebus arbor qua vita representatur, significatur, exhibetur, dicitur arbor vitæ. Qua verò scientia boni & mali demonstratur, boni & mali arbor esse dicitur. Sacrificia dicuntur nos Deo conciliare, eumq; nobis reddere propitium, atque adeò eorum nidus dicitur Deo esse gratus ac fragrans odor (quo nihil occurrit in Scriptura frequentius) & peccata abolere, non quidem ipsa per se aut suę substantię & naturę vi, sed Domini institutione, qua voluit illa nobis his rebus poni ob oculos. Ita agnus est pascha seu transitus, ita Circumcisio est fœdus, ita Bethel est domus Dei, Arca fœderis est ipse Iehova exercituū, ita columba est Spiritus sanctus, ita denique vox in ore Isaię ac reliquorum prophetarum atque Apostolorum resonans est verbum Domini, Prædicatio Pauli est spiritus, est lux, est vita.

Quo quid est frequentius, quid magis propriū, aut magis usitatū? Hic nemo tamē impingit, nemo querit an vocis humanę substātia mutetur trāssubstātatione in verbū Dei. Omnes quidem fatebuntur Deū omnia posse quæ velit, & quęcunq; dicat eodem illo momento quo dixerit existere & esse certa atque indubitate, ac proinde posse verborum sonis tribuere substantias quas velit: Sed tamen nemo est ita rerum omnium humanarum hospes, atque omnis civilis ac popularis sermonis ignarus, qui non intelligat illam vocem illaque verba eo efferrī ac pronuntiarī, ron ut quid

ut quid sua sint natura aut substantia disputetur, sed ut quid nobis significet, exhibeant, repræsentent, intelligatur. Verba enim reponuntur ab omnibus & disertè ab Augustino in eo signorū genere quorum omnis usus in significando est : Nemo enim utitur verbis nisi aliquid significandi gratia : atqui sacramenta rerum sacrarum esse signa, nemo est qui unquam dubitarit: Nam etsi sunt res, ut Augustini utar verbis, tamē ita sunt res ut aliarum sint rerum signa, ita ut omnis eorum usus in significando consistat: quo respectu meritò idem Augustinus appellavit sacramenta verba visibilia, & verba dixit esse sacramenta vocalia. Vtraque enim ad significandum ac repræsentandum instituta sunt. Hæc quidem semper & ubique ad significandum: illa verò hactenus quo ad sunt sacramenta. Itaque verè quidem & eleganter ab Ambrosio dicitur illud quod pro te videris allegare: Panis iste panis est ante verba sacramentorum: ubi accessit consecratio, de pane fit corpus Christi. Est enim hoc extra controversiam: panem quem frangimus in cœna Domini ejus mortem commemorantes & ~~suxæcessores~~, non eò usurpari ut sit panis vel fungatur panis munere ac vi, sed ut nobis exhibeat ac significantissimè repræsentet ipsissimum Christi corpus pro nobis in ara crucis fractum, quod verè est panis ille qui de cœlo descendit & qui vitam dat hominibus. Iam igitur non est amplius panis, si species usum instituentis ac finem institutionis, sed corpus ipsum, non quidem substantia, sed repræsentatione atque exhibitione ac fine ipso propter quem institutus est, quemadmodum disertissimè annuli

exemplo supra ex Bernardo probatū est. Hæc igitur enuntiatio Christi de pane sum:o, fracto ac dato, omnino est verissima, neque quidquam falsi continet ut arbitraris, etiam si non recurramus ad duplēm illam significationem verbis t. Vna enim & simplex ejus est significatio: Semper enim verbum est significat esse, sed non semper significat esse substantiam, aliquando qualitatem, aliquando quantitatem, aliquando relationem designat, aliquando aliam ex decem vocibus in categorijs pro ratione rerum de quibus est sermo.

Hæc autem enuntiatio facta de pane, quemadmodum uno testantur ore omnes Euangelistæ atque Apostoli, hoc est *corpus meum*, est enuntiatio vera propria & significantissima, quemadmodum est illa Pauli: Panis quem frangimus est communio corporis Christi, non quidem substantia (quod & tu ipse de hac posteriore confiteris) sed usu, fine, institutione. Quod ut intelligas, agnosce iplissima tua verba amplissime domine, Ita enim scribis: Non tamē vult ibi Apostolus dicere quid sit panis qui frangitur, sed quid participatione hujus panis significetur & efficiatur &c.

Hic tibi nos si voles esse æquos, eandem & tu nobis æquitatem prebe: nimirum non semper quoties usurpatur verbum est significari quid sit rei de qua agitur substantia, sed sèpe alibi & semper in sacramentis designari quid illius participatione significetur & efficiatur.

Vides nos nulla querere diverticula, in modo regia via quam tu nobis sternis infistere. Alioqui si obstat

nate

natè clamabis verbum est non dici nisi ad explicandas rerum substantias, ipse te vide quomodo laqueo quem nobis posueris extricabis. Nam si apud Paulum verbum est usurpatum non ad significandam rei substantiam, sed participationem seu significacionem rei, quemadmodum tuipse disertè testaris: cur non idem nobis concedes fieri apud Matthæum, immò cur non & apud eundem Paulum capite insequentie eodem propositus argumento & sacramento pertractantem?

Atque hactenus quidem de exemplis planis, perspicuis atque usitatis, in quibus omnibus haud quidem cadem ubique est ratio: nec enim si non aliqua parte discreparent quae sunt similia dici omnino similia possent: Sed in eo convenienter planissime omnia quod signis tribuantur nomina atque effecta rerum signatarum, & tamen non designent transformationes substantiarum, sed tantum rerum signatarum vivas tanquam imagines, representationes ac significaciones. Rationem si querimus, est omnino in promptu: sed malo Augustini verbis explicari, propterea quod video veritatem, etiam si per se pondus habeat maximum, non posse tamen nisi autoritate dicentis fultam locum hodie obtinere: Nunc (inquit Augustinus) nemo ambigit, per similitudines libenter quaque cognosci, & cum aliqua difficultate quæ sita multo gravius inveniri. Quemadmodum enim idem ait Augustinus: Nihil aliud ijs Cantici verbis Dentes tui sicut &c. Hominem discere, quam cum illud planissimis verbis sive similitudinis hujusmodi adminiculo auditur; tamen nescio quo modo

„ modo suavius se intueri sanctos, cum eos quasi dentes Ecclesię videt prēcidere ab erroribus homines, atque in ejus corpus emollita duritia quasi demorſos mansosque transferre, &c.

Planè eodem modo, etsi nihil homo discit aliud, ubi panis in Cœna exhibetur, frangitur, datūrque, ac denique jubetur accipi, & asseritur esse corpus Christi quod pro nobis traditum est in ara crucis: nisi idipsum quod univerſa docet Scriptura, nos cùm Christo ita esse unitos, ut simus os de ossibus ejus & caro de carne ejus, per mortis ejus efficaciam, spiritus vi per fidem in nos transfusam: tamen nescio quomodo cùm panis māducandus exhibetur, atque id fieri in recordationem mortis Christi præcipitur, quasi in rem præsentem venientes videmur nobis Christum pro nobis crucifixum nostrūmque factū & nos cum illo arctissimè conjunctos videre atq; palpare. Ita quamvis illa locutio, *nisi manducaveritis carnem Filii hominis & sanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis* sit figura, quemadmodum docet Augustinus, nihil præcipiens aliud nisi passioni Domini esse communicandum, &c. tamen nescio quomodo & altius insidet animo ea figura, & efficiens præsentem nobis statuit mirificam illam atque arctissimam *memoriam*, et denique tenacius hæret in memoria. Theodoreti verba quibus rationem hujus rei disertè explicat paulò infra commemorabimus, ubi ad testimonia veniemus.

Nunc satis est id constare: in universum sacramentorum omnium rationem illam esse ut imbecillitati nostræ fidei succurratur. Et quemadmodum in Baptismo

tismo non modo aurib. audimus nos ablutos Christi sanguine, sed etiā oculis ipsis quasi rem prēsentem cernimus: Ita in Domini Cœna videmus nos non minus arctè cum Christi carne & sanguine conjunctos esse, quām panis & vinum cum nostri corporis substantia copulentur uniantūrque. ac proinde carnem ejus verē nobis esse cibū & sanguinem verē esse potum, quorum adminiculis unum siamus cum illo, sicut ipse unum est cum patre cœlesti. Quemadmodum ipsa veritas cap. Ioan. 6. luculenter docet, cuius certè doctrinæ nobis in sacrosancta Cœnæ institutione illustre ac præclarum quasi speculum, tesseram ac sacramentum exhibit.

Alioqui (ut idem ait Augustinus) miserabilis profecto est animæ servitus: signa pro rebus accipere, & supra creaturam corpoream oculum mentis ad huiusmodi levare non posse. Inter hec autem signa disertè ab eo reponuntur Baptismi sacramentum, & celebratio corporis & sanguinis Domini.

Quæ unusquisque (inquit) cùm percipit, quo referantur imbutus agnoscit, ut ea non carnali servitute, sed spiritali potius libertate veneretur. Scripturam autem apertissimè idem significare ex superioribus facile elucescit. Christus enim quum de pane dixisset *hoc esse suum corpus*, dixit de Calice *hoc poculum est novum testamentum in meo sanguine*. Tu quidem vis illam hac esse clariorem orationem: Et tamen asseveras illam falsam futuram, nisi nova significatione verbi es tibi muniatur: Et non ignoras de illa multis seculis Christianum orbem fuisse digladiatum, de hac

hac posterior in nullam unquam ne minimam quidem extitisse controversiam vel ambiguitatem. Et tamen si maximè ita ut dicis, se res haberet, & illa per se esset clarissima, hæc verò omnium obscurissima: nihilominus quando inter nos de illa controvertitur, de hac nihil ambigitur, omnino est æquius hanc ab illa, quam ab hac illam sumere interpretationem. Quare seposita omni contentione adaptemus utrobique eadem verba, et dicamus, quemadmodum hæc oratio: *Hic est sanguis noui testamenti qui pro nobis effunditur, idem significat quod illa, hoc poculum est novum testamentum in meo sanguine.* Ita illam orationem *hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur,* idem penitus significare quod *bis panis est novum testamentum in meo corpore quod pro vobis frangitur.* Ecquis nunc est homo sanguinis, qui non evestigio sententiam Christi planissime assequatur: nimirum, panem illum institui ut sit *diutinum seu testamentum seu sedus atque contractus Christi mortis, nobiscum, quo se obligat nobis dare suum corpus, atque illud ipsum quasi presentis exhibet, ut certò statuamus nos cum eo indissolubili nexu conjunctos esse atque copulatos.* Huic jam adjunge Pauli sententiam Domino suo adstipulantis dicentisq;: *Panis quem frangimus est communio corporis Christi: id est, ut tu ipse interpretaris, participatione hujus panis quem frangimus significatur nobis corpus Christi.*

Quid jam restat ambiguum, quid obscurum? Et tamen si Scripturam adhuc penitus introspicias, ut *nimirum (quod longè tutissimum esse docet Augustinus) quod habet controversiam ex eadem scriptura*

tura ubicunque inventis atque adhibitis ejus testibus terminetur: nihil vetabit quominus certam atque irrefragabilem hujus loci eruamus interpretationem & transsubstantiationi oculos configamus. Cùm enim Christus jubet hoc fieri in sui memoriam, quum Paulus hac sacramenti celebratione mortem Domini docet annuntiari, quum Christus ipse cap. Io. 6. carnis suę manducationem & potionem sanguinis his verbis explicat: *Qui venit ad me non esuriet & qui credit in me non sitiet in æternum*: & paulò post, verba quæ dixit testatur esse spiritum & vitam, propterea quod caro non profit quicquam sed spiritus fit qui vivificat, & simul animos audientium ad ascensionis suæ in cœlos considerationem revocat: an non manifestè docet non esse nobis de substantiarum corporalium transmutatione quicquam laborandum, sed illis sacramentorum vehiculis ad cœlestis illius corporis conjunctionē per vim spiritus mediante fide compactam mentes nostras evehendas, quemadmodum & ipsius Nicæni Concilij canone elegantissimè & clarissimè dicitur.

Quid vero, cùm Paulus infinitis locis panem post consecrationem non minus panem appellat quam ante: an non manifestè transsubstantiationis commentum evertit? *panis (inquit) quem frangimus est communio corporis Christi*. Et addit ratione in, quæ nulla potest eludi cavillatione *quoniam unus panis, unum corpus multis sumus: nam omnes de uno pane participamus:* &, *Quotiescunque hunc panem manduca veritis mortem Domini annuntiabis: et, Quicunque manduca verit hunc panem indignè, rens erit corporis Domini. Et: Prober seipsum*

*sum homo antequam de pane illo edat. Et semper profecto in veteri ecclesia, cui erat ignotum transubstantiationis commentum, hujus sacramenti participatio panis fractio nominata est.*

Hæc omnia si quis cavillando velit eludere, nihil erit tam firmum, nihil tam sanctum, nihil tam perspicuum, quod ejusmodi non violet atque obscuret audacia. Et tamen si nulla possunt Domini eloquia intelligi nisi ab hominibus lumen accipient: audiamus patrum testimonia, quos ego libenter sane dabo magnificè ac nonnunquam etiam hyperbolicè de sacramentis locutos esse, ita ut & baptismi aquæ vim ac nomen Spiritus sancti, et pani elemento corruptibili corporis Christi & nomen & effecta persepe tribuerint. Nec mirum: habuerunt præeuntem magistrum qui ea ratione voluit, quid nobis ejusmodi carnalibus elementis exhiberet, significanter ob oculos ponere. Sed quoties ad interpretationem veniunt, toties profecto manifestissimè declarant elementum panis non esse rem eam quæ significetur, sed signum seu significationem, seu sacramentum seu mysterium reicœlestis, quæ nobis exhibeat cœlitus. Sed paucos adducam, ne multitudine testimoniorum veritatem in dubium videar revocare.

To. 6. Augustinus certè, quem inter cæteros facilè principem dixeris, quique hanc controversiam infinitis ea. 12 locis apertissimè decidit, ubi contra Adimantum Manichæum disputans, ejus insaniam refutat allegantis verba Mosis, *quod sanguis sit carnis anima*, ita scribit:

„ Nam ex eo quod scriptum est sanguinem pecoris animam

animam ejus esse, præter id quod supra dixi non ad me pertinere quid agatur de pecoris anima, possum etiam interpretari præceptum illud in signo esse positum: non enim Dominus dubitavit dicere, *Hoc est corpus meum*, cùm signum daret corporis sui, &c.

Hæc si bona fide conferantur cum iis quæ primo & 2 lib. de doctrina Christiana docet de signis & rebus signatis, quis non videt ita esse plana atque perspicua, ut nulla possint tergiversatione eludi? Sed ipsem est se paulò inferius clarius explicat, ita ut nullæ interpretationi alienæ locus relinquatur. Ait enim eodem illo capite, idemque prosequens argumentum: Sed quamvis de pecorum animis non curemus, cum quibus non habemus rationis aliquam societatem: tamen illud quod lex dicit, fundendum esse sanguinem nec in escam assumendum, quia sanguis est, anima, esse positum in signo dicimus, sicut alia multa. & pene omnia scripturarum illarum sacramenta, signis & figuris plena sunt future prædicationis, que jam per Dominum nostrum Iesum Christum declarata est. Sic est enim sanguis anima, quomodo petra erat Christus. sicut dicit Apostolus: Bibebant enim de spiritali sequente eos petra, petra autem erat Christus. Notum est autem filios Israël petra percussa bisse aquam in eremo: de quibus loquebatur Apostolus cum hæc diceret. Nec tamē ait, petra significabat Christū, sed ait, petra erat Christus. Quæ rursus ne carnaliter acciperetur, spiritalem illā vocat, id est, illam spiritualiter intelligi docet. Longum est & nunc non necessarium sacramēta ejusdem legis exponere, nisi cum breviter possint: sufficit autem ut noverint,

» illi qui de his calumniantur, non ea nos ita intellige-  
 » re ut illi solent irridere, sed quemadmodum Aposto-  
 » li omnia intelligentes pauca exposuerunt, ut ad eas-  
 » dem regulas cætera posteris intelligenda relinque-  
 » rent, hactenus Augustinus. An vero est ulla tanta vis  
     ingenij quæ huic tam claræ luci nebulas possit of-  
     fundere & Augustini sententiam verborum aut fo-  
     phismatum involucris obscurare? Itaque fateamur  
     panem esse corpus Christi, & quidem eum mutatum  
     esse in corpus Christi, transelementatū in ejus carnē,  
     sed ubi ad interpretationem veniendum est, ne sig-  
     na pro rebus serviliter accipiamus, sed apertè & pla-  
     nè cum Augustino dicamus, hæc omnia in signo esse  
     polita. Ac proinde frustra conaris vir doctissime eū-  
     dem Augustinum in castra tua pellicere, dicentem:

» Si enim sacramenta quandam similitudinem ea-  
 » rum rerum quarum sacramenta sunt non haberent,  
 » omnino sacramenta non essent. Ex hac enim simili-  
 » tudine plerumque etiam ipsa rerum nomina acci-  
 » piunt. Sicut ergo secundum quendam modum sa-  
 » cramentum corporis Christi corpus Christi est: sa-  
 » cramentum sanguinis Christi sanguis Christi est, ita  
     sacramentum fidei fides est &c. Quod enim tu ais  
     his verbis significari hunc loquendi modum, Sacra-  
     mentum corporis Christi est corpus Christi, non esse  
     proprium & consuetum, planè à nobis facit. Dici-  
     mus enim esse modum loquendi sacramentalem,  
     quo nimis tribuitur signo, quod est rei signatæ.  
     Nimis enim sunt manifesta Augustini verba quam  
     ut ejusmodi nebulis possint obfuscari: haec enim  
     præcedunt:

Nempe

Nempe saepe ita loquimur ut pascha propinquante dicamus, crastinam vel perendinam Domini passionem, cum ille ante tam multos annos passus sit, nec omnino nisi semel illa passio facta sit, nempe ipso die dominico dicimus, hodie Dominus resurrexit, cum ex quo surrexit tot anni transierint. Cur nemo tam ineptus est ut nos ita loquentes arguat esse mentitos, nisi quia istos dies secundum illorum quibus haec gesta sunt similitudinem nuncupamus, ut dicatur ipse dies qui non est ipse, sed revolutione temporis similis ejus. & dicatur eo die fieri propter sacramenti celebrationem, quod non illo die sed jam olim factum est. Nonne semel immolatus est Christus in seipso? & tamen in sacramento non solum per omnes paschæ solemnitates, sed omni die populis, immolatur: nec utique mentitur qui interrogatus responderit eum immolari: si enim sacramentum quandam similitudinem earum rerum &c. ut supra.

Quæ verba si quis arte sophistica possit eludere, *Rom. 10.*  
haud ego quicquam tam esse planum, tam clarum *Epi. 23.*  
atque perspicuum dicam quod idem non possit in *ad Bonifacium.*  
tenebras convertere.

His addo quod suprà allegavimus: figuram esse quum jubet carnem & sanguinem suum manducari &c. cum in psal. 3. admirans Christibonitatè dicit eū adhibuisse Iudam ad convivium in quo corporis sui figuram discipulis commendavit & tradidit. Possem sexcenta ejusmodi loca ex Augustino proferre: sed haec satis sint ei qui manifestæ veritati non volet refragari.

Tertullianus verò, qui ætate illi præcessit an ulla

in re cum eo discrepat, ubi aduersus Marcionem lib.

I. ex universæ & Catholicæ Ecclesiæ sententiâ scribi-

, Sed ille quidem usque nunc nec aquam reproba-

, vit creatoris qua suos abluit , nec oleum quo suc-

, unguit , nec mellis & lactis societatem quo suos pa-

, vit, nec panem quo ipsum corpus suum representat-

, etiam in sacramentis proprijs egens mendicitatibus

, creatoris, &c . Et paulo post :

, Sic enim Deus in Euangeliō quoque vestro reve-

, lavit, panem corpus suum appellans , ut & hinc ja-

, eum intelligas corporis sui figuram panem dedisse

, cuius retro corpus in panē prophetes figuravit ipsi-

, Domino hoc sacramentum postea interpretatur

, Et lib. 4.

, Professus itaque se concupiscentia concupisse e-

, dere pascha , ut suum ( indignum enim ut quid alieni

, num concupisceret Deus ) acceptū panem & distri-

, butum discipulis, corpus suum illum fecit hoc est cor-

, pus meum dicendo, id est figura corporis mei. figura

, autem non fuisset, nisi veritatis esset corpus . Cæte-

, rum vacua res quod est phantasma , figuram capere

, non potest. & quæ sequuntur : Quæ sanè si non sun-

, meridiana luce clariora , nihil ego profectò video

His accedat Theodorethus in dialogo qui dicitu-

τητιπατο:

Ορθόδοξος . ὁ δέ τε σωτήρ ὁ ἡμέτερος ἐν ἡλιαχ-

τα ὄρματα, καὶ τῷ μὲν σώματι τὸ Φ συμβόλου τη-

θικεν ὄνομα, τῷ δὲ συμβόλῳ τὸ τέ σώματος. Ὅτα-

λμπελον ἱστὸν ὄνομασας, αἷμα τὸ σύμβολον πρα-

γούρευσεν. Ερανιζῆς : Τέτο μὲν ἀληθῶς είρηκα

ἴειν λόρην δὲ τὸν αἰτίαν μαθεῖν τῆς τῶν ὄνομάτων ἀπαλλαγῆς.

Óρθο. Δῆλος δὲ σκόπος τοῖς τὰ Θεῖα μεμνήσοις. Ίειν λόρη γάρ τὰς τῶν Θείων μιητρίων μεταλλαγχάνοντας, μὴ τῇ φύσει τῶν βλεπομένων προσέχειν, ἀλλὰ διὰ τῆς τῶν ὄνομάτων ἀπαλλαγῆς πιστεύειν τῇ ἐκ χάριτος γεγενημένῃ μεταβολῇ. Οὐ γάρ δὴ τὸ φύσει σῶμα σίτου καὶ ἄρτου προσαγορευσας, ήτις πάλιν ἔχει τὸν ἀπατιλον ὄνομάσας ἔτος τὰ ὄραμένα σύμβολο τῇ τῷ σώματος καὶ αἵματος προσπορίᾳ τετίμπειν, ἢ τὸν φύσιν μεταβαλλὼν, ἀλλὰ τὴν χάριν τῇ φύσει προστεθεικώς.

Quæ possunt ita Latinè reddi: Orthodoxus. Noster sanè servator nomina permutavit, & corporis quidem symboli nomen dedit, symbolo vero corporis. Ita seipsum vitem nuncupavit & symbolū sanguinem appellauit.

Eranistes. Hoc tu quidem verè dixisti, sed velim rationē huius nominū permutationis ex te intelligere.

Orthod. Perspicuus certè scopus est ijs qui sacris sunt imbuti. Voluit enim eos qui sacris mysterijs participant, ne aquam eorum quæ oculis cernuntur naturæ intentos esse, sed per nominum permutationem adduci, ut crederent ei, quæ per gratiam fit commutationi. Nam qui quod natura erat corpus panem & cibum appellavit, sequè ipsum vitem nuncupavit, idem symbola aspectabilia corporis & sanguinis nomine decoravit, non quidem naturam immutans, sed naturæ gratiam adiiciens.

Hæc certe ita sunt clara ut nihil planius dici possit.  
Et tamē in eo dialogo quem inscripsit ἀσύγχρονος hoc argumentum etiam fusiū explicat. Quæ verba quia omnem istam controversiam luculentissimè definunt, libethic adjicere.

**Oρθόδοξος:** Εἰπὲ τοῖνυν τὰ μυστικὰ σύμβολα παρὰ τῶν ἱερωμένων τῷ Θεῷ προσφερόμενα, τίνων εἰσὶ σύμβολα;

**Ερανιστής:** Τῇ δεσποτικῇ σῶματός τε καὶ αἷματος.

**Ορθός.** Τῇ ὄντως σώματος, οὐκ ὄντως;

**Ερανιστής.** Τῇ ὄντως.

**Ορθός.** Ἀριστα. χρὴ γάρ εἴ τὸ τῆς εἰκόνος ἀρχέτυπον. καὶ γάρ οἱ ζωγράφοι τὴν φύσιν μιμοῦνται, καὶ τῶν ὄρωμένων γράφουσι τὰς εἰκόνας. Ερα. ἀληθῶς.

**Ορθός.** Εἰ τοίνυν τῇ ὄντως σώματος αντίτυπα εἰσὶ τά θεῖα μυστήρια, σῶμα ἄρα εἰσὶ καὶ νῦν τῇ δεσπότῳ τὸ σῶμα. εἰκὲν εἰς Θεότητος φύσιν μεταβλιθεν, ἀλλα θείας δόξης ἀναπλισθεν. Ερα. Εἰς καὶ πρὸ τὸν περὶ τῶν θείων μυστηρίων ἐκίνητας λόγον, ἐντεῦθεν σοι γάρ δεῖξω τῇ δεσποτικῇ σώματος τὴν εἰς ἔτεραν φύσιν μεταβολὴν. ἀπόκριναι τοίνυν πρὸς τὰς ἐμάς ἔρωτίστεις.

**Ορθός.** ἀποκρίνεται. Ερα. Τί καλεῖς τὸ προσφερόμενον δῶρον πρὸ τῆς ἱερατικῆς ἐπικλήσεως;

**Ορθός.** Οὐ χρὴ σαφῶς εἰπεῖν. εἰκὸς γάρ τινας ἀμυντικὰ παρεῖναι. Ερα. αἰνιγματωδῶς ηὔποριστις εἶσθαι.

Ορθ. Τὴν ἐκ τοιῶν δε αὐτερμάτων ἔσοφην.

Ερα. Τὸ δὲ ἔτερον σύμβολον τῶς ὄνομαζόμεν;

Ορθ. Κοινὸν ἡ τέτο ὄνομα, σώματος εἰδὸς σπουδῆς. Ερα. Μετὰ δέ γε τὸν ἀγιασμὸν, πᾶς ταῦτα προσαγορεύεις;

Ορθ. Σῶμα χριστὸν ἡ αἷμα Χριστός. Ερα. καὶ πιστεῖς λεσχώματος Χριστὸν μῆλον βάνεν οἱ αἵματος;

Ορθ. ἔτω πιστεύω. Εραν. ὥσπερ τοίνυν τὰ σύμβολα τὸ δεσμοτικὸν σώματος τε καὶ αἵματος, ἀλλα μὲν εἰσὶ ωρὶ τῆς ιερατικῆς ἐστικλησεως, μετὰ δέ γε τὴν ἐστικλησιν μεταβάλλεται καὶ ἔτερες γίνεται, ἔτω τὸ δεσμοτικὸν σῶμα μετὰ τὴν ἀνάληψιν, εἰς τὴν ἀσίαν μετεβλήθη τὴν θείαν.

Ορθ. ἄλλως αἱς ὑφινας ἄρκυσιν. ἐδὲ γὰρ μετὰ τὸ ἀγιασμόν τὰ μυστικὰ σύμβολα τῆς οἰκείας ἐξισταται φύσεως. μένει γὰρ ἐστι τῆς προτέρας ἀσίας οἱ τε σχῆματος καὶ τὸ εἶδος, καὶ ὄρατας εἴσι καὶ ἀπτά, οἷα καὶ τρόπερον ἦν νοεῖται, διὰ ἀπερ ἐγένετο καὶ πιστεύεται. Παραθεστοίνυν τῷ ἀρχετύπῳ τὴν εἰκόνα καὶ ὅψι τὴν ὁμοιότητα. Χρῆσοικεναι τῇ ἀληθείᾳ τὸ τύπον, καὶ γὰρ ἐκεῖνο τὸ σῶμα τὸ μὲν τρόπερον εἴδος ἔχει καὶ σχῆμα οἱ περιγραφὴν μὴ ἀπαξιτῶς εἰπεῖν τὴν τὸ σώματος ἀσίαν, αθάνατον δὲ μετὰ τὴν ἀνάστασιν γέγονε καὶ πρεστόν φθορᾶς καὶ τῆς ἐξιῶν ἔξιώθη καθέδρας καὶ παρὰ πάτης τροσκυνεῖται τῆς κτίσεως ἀτεδησῶμα χρηματίζογε τὸ δεσμότυ τῆς φύσεως.

Hæc ita Latinè.

*Orthodoxus.* Dic igitur, symbola mystica quæ à sa-  
era facientibus Deo offeruntur, quarum rerum sunt  
symbola? Era. corporis & sanguinis Dominici.

*Orthod.* Corporis ne quod verè existit, an quod  
non verè. Era. quod verè existit.

*Orthod.* optimè: necesse est enim imaginis quod-  
dam esse exemplar atque archetypum: nam & picto-  
res naturam imitantur, & rerum aspectabilium for-  
mas effingunt. Era. ita est.

*Orthod.* quod si igitur divina mysteria corporis  
revera existentis sunt antitypa, sanè & nunc quidem  
Dominii corpus revera corpus est, non quidem in  
deitatis naturam commutatum, sed divina gloria  
impletum.

*Era.* Næ tu oportunè de divinis mysterijs sermo-  
nem injecisti. Hinc etenim tibi Dominici corporis  
in aliam naturam permutationem commonstrabo.  
Age itaque responde ad meas interrogations.

*Orthod.* respondebo. Era. Quo nomine vocas do-  
num quod offertur ante sacerdotalem nuncupatio-  
nem?

*Orthod.* haud fas est palam effari, verisimile est enim  
quosdam hinc adesse nondum initiatos. Era. ænigma-  
ticè itaque respondeto.

*Orthod.* voco alimentum ex certis granis compo-  
situm.

*Era.* Alteri verò symbolo quod nomen damus?

*Orthod.* Commune etiam nomen quod potus  
quandam speciem denotet. Era. at verò post sanctifi-  
cationem quibus ea nominibus appellas?

*Orthod.*

*Orthod.* Corpus & sanguinem Christi. *Era.* & credi omnino corporis & sanguinis Christi fieri participantem?

*Orthod.* Ita credo. *Era.* Quemadmodum igitur symbola corporis & sanguinis Domini alia quidem sunt ante sacerdotalem nuncupationem, postea vero immutantur & alia fiunt: ita planè & corpus dominicum post assumptionem in essentiam commutatum est divinam.

*Orthod.* næ tu ijs quæ tetendisti retibus ipse captus es. neque enim post sanctificationem symbola mystica propriam exuunt naturam (permanent enim in priori substantia, figura & specie, & sunt non minus aspectabilia & palpabilia ac prius) sed mente & cogitatione comprehendenda sunt ea quæ facta sunt & creduntur. Nunc itaque exemplari huic & archetypo imaginem adaptato, & planè cernes similitudinem. oportet enim veritati similem esse figuram. Etenim & illud corpus retinet priorem quam habuit figuram, formam & circumscriptiōnē, & ut breviter dicam, ipsam corpoream essentiam: post resurrectionem autem factum est immortale & omnis corruptionis planè expers, & ipsa etiam ad dexterā sessione dignum, atque ab universa creatura, ut poteq; vere corpus ejus dicitur qui natura Dominus est, adorandum.

Possem ex Ireneo, Origine, ex Clemente Alexandrino, ex Cypriano, Ambrolio atque Basilio, Nazianzeno, Chrysostomo, Macario, Maximo, alijsq; infinitis ejusmodi luculentissima atque certissima testimonia depromere, planissimèque demonstrare universa

universæ Ecclesiæ sensum à Christo nato adusque Bertrami tempora, qui hac de re librum de industria conscripsit sub ætatem Caroli (ni fallor) Crassi, certum atque constantem semper fuisse. Postea verò quām horrēda illa Gothorum vastatio ecclesiæ justo Dei judicio pro virtute libidinem, pro justitia tyrannidem, pro pietate superstitionem invexerat sub Nicolai tempora, qui Berengarium rectè atque orthodoxè sentientem canere coēgit palinodiam, tum primū Romanorum pontificum fulminibus universum propè terrarum orbem territatibus, inventa est hæc de transubstantiatione doctrina. Sed nolo veritatis luci manifestissimæ conqueritorum testimoniū multitudine facere præjudicium, ne videar doctrinæ orthodoxæ atque ecclesiasticæ aliud amplecti fundamentum aliudve *κατέπιπον*, nisi unam ac solam sacræ scripturæ doctrinā, cui quamdiu consenserint patres non verebor eos laudare ac venerari, si autem ab ea desciverint, haud mihi sanè pluris erunt quām fuit Augustino synodus Ariminensis, vel nobis est Tridentina.

Sed quia longior fui quām speraram, nolo in hujus novæ questionis campum digredi, ad epistolam enim illam tuam quam responsioni de sacramentis adjecisti respondebo aliás. Interea hoc meum scriptum rogo ut boni consulas, & si qua parte erro, scripturis ratione & probatissimorum testium autoritate errorem commonstres: si minus vel ipse veritati locum des, vel nos certè propter veritatis testimonium multa indigna patientes tuo patrocinio tucare. Vale vir amplissime, méque tui esse observantissimum tibi certò certius persuade.

GENERO SO, NOBILI, ERV-  
 DITISSIMO QVE VIRO DOMI-  
 NO Philippo Marnixio Sanctaldegondo.

**E**CTA responsione tua ad ea quæ de posteri-  
 oribus questionibus tuis, quantum Deus lar-  
 giri dignatus est, disserui, eruditissime D.  
 Sanctoaldegondie: deprehendi te disputatione  
 mea minus consentire: quod non satis asecutus sis quomodo  
 vel dicta mea sibi consentiant, vel quibus fermentur argu-  
 mentis. Et inter ea quæ discrepare existimas, in primis pro-  
 fers, quod dixi verbum substantivum EST usitata sua signi-  
 ficatione substantialitatem notare: cum tamen ante prami-  
 serim enuntiationes simplices in quibus alterum de altero  
 mediante verbo substantivo EST enuntiatur, aliquando  
 proferri intentione afferendi id quod est priusquam talis enun-  
 tiatio proferri incipiat, aliquando vero intentione facienda  
 id quod nondū est quādō eiusmodi oratio enuntiari incipit,  
 sed tunc demū erit quando ipsa enuntiatio absoluta fuerit.

Hanc enim distinctionem sic accepisti quasi dixissem ver-  
 bum substantivum EST bifariam accipi, aliamque signi-  
 ficationem habere in ijs enuntiationibus que tantum profe-  
 runtur intentione afferendi quod p̄fuit, & aliam in ijs qua-  
 dicuntur intentione facienda quod talienunciatione desig-  
 natur. Id quod neque dixi, neque significare intendi.

Sed tantum volui ostendere, enuntiationes quasdam  
 manente eadem usitata & genuina omnium vocum sig-  
 nificatione, posse alia & alia intentione dici: nempe in-  
 tentione afferendi quod p̄fuit, & intentione facienda  
 quod non p̄fuit, sed quod tum demum erit quando e-  
 iusmodi enuntiatio absoluta fuerit. Et quia satis suspica-  
 bap

baristud posterius enuntiationum genus à terminis observatum; conatus sum illud comprobare, non tantum sermone iurisconsultis noto, sed etiam tribus sacra scriptura testimonijs: quorum duo satis leviter attigisti; sed tertium, tanquam huic rei impertinens, omnino praterijs: in quo tamē tanta evidētia ostenditur, unam & eandem enuntiationē, manente prorsus eadem vocum significacione, posse proferri, & intentione faciendi quod non p̄fuit, & intentione significandi quod p̄fuit: ut non nisi absurdissime negari possit. Erat quidam regulus cuius filius infirmabatur Capharnaum: abit & rogavit Iesum ut sanaret filium ejus: tandem dicti ei Iesus: filius tuus vivit. & hoc dicendo sanavit eum. sicut etiam postea a ministris sibi occurrentibus cognovit. Hic significavit Iesus, non quod p̄fuit, sed quod hēc dicendo fecit: nempe quod filius ejus viveret, id est sanus esset. Descendente regulo, servi occurserunt ei, & indicaverunt dicentes quia filius ejus viveret. ergo & bidixerunt regulo filius tuus vivit: non alia vocum significacione, sed prorsus alia intentione. quia Christus regulo dixerat: filius tuus vivit, intentione faciendi quod dicebat: servi vero dixerunt eidem, filius tuus vivit: non intentione faciendi quod prius non erat. sed intentione nuntiandi quod iam esse gaudebant, & ipsum regulum gavisurum esse sciebant. Accipe exemplum aliud: Cūm Iesus ex cruce videt matrem & discipulum stantem quem diligebat: dicit matri sua non de scipio sed de discipulo: mulier ecce filius tuus: inde dicit discipulo, ecce mater tua. & ex illa hora accepit eam discipulus insnam.

Quero an Iesus hic matri & discipulo dixit quod p̄fuit, an potius quod suis verbis effecit? certè si p̄fuisset, non subiecisset Euangelista, quod ex illa hora, nempe qua  
hac

hoc audivit à Domino, accepit eam discipulus in suam: non significacione (ut ait) sed adoptione, sicut etiam in civilibus solet. Sicut enim Christus mandando multa effecit, quæ nos iisdem verbis & eadem significacione acceptis, tantum praescipere solemus: ut, surge, tolle grabatum tuum & ambula: Lazarus veni foras: Extende manum tuam: Respice, &c. sic etiam per praesens enuntiando multa effecit, quæ nos iisdem verbis, eadem significacione acceptis, praefuisse significamus. Nam puto intelligi me, dicendo, enuntiationes in quibus alterum de altero enuntiatur, mediante verbo substantivo. Est aliquando proferri intentione afferendi quod præsuit, aliquando vero proferri intentione facienti quod non fuit sed quod tunc primum esse incipit quando prolatæ est oratio; non geminasse verbi substantivi. Est notionem, sed semper genuinam & usitatam servatæ, quæ substantialitatem significat: ac proinde non esse contrarietatem, quam in meis scriptis contrarietatem esse putasti, sed meram & apertam veritatem solidis & manifestis scripture sacra testimonijs sufficienter corroboratam.

Aliam contradictionem attulisti quod dixerim apud Evangelistas verba Christi accipite & comedite non debere construi cum nomine panem quod præcessit, quando Evangelista ait: Accepit Iesus panem. quia ibi de communione pane loquitur, quem Ambrosius usitatum vocat. Sed dixi debere construi cum eo quod sequitur: hoc est corpus meum, vel cum eo quod intelligitur; panem benedictum & consecratum. Quasi videlicet hac inter se opponantur: verbum comedite non constructur cum nomine panem præcessit: quia significat panem usitatum; sed constructur cum nomine panem benedictum & consecratum quod intelligitur: cum manifestum sit panem benedictum & consecratum

secratum jam amplius panem non esse: sed in Christi corpus  
esse mutatum: sicut aqua in vinum mutata jam amplius  
non est aqua sed vinum: & homo mortuus non amplius  
est homo sed cadaver. Non est igitur sibi cōtraria m̄ verba  
Christi Accipite & comedite non construi cum nomine  
panem quod praecessit, sed cum eo quod sequitur hoc est  
corpus meum: vel cum eo quod intelligitur panem be-  
nictum & consecratum: sicut construit Ambrosius.

Longum eset cuncta prosequi, nunc praeſertim occupati-  
onibus me alio vocantibus: ne etiam per occasionem parti-  
cularium difficultatum, quas Deo juvante poste aper oti-  
um carptim excutiemus causa caput pretereamus. Nostis  
enim cardinem, in quo vertitur summa nostre controversia  
esse; in qua, immo in ultra significatione accipi debeat verbum  
sustantivum **E S T** cum ait Christus: hoc est corpus me-  
um: an ut substantialitatem designet; an vero ut ponatur  
pro verbo significat. Ambo dicimus propriam & genui-  
nam significationem verbi **E S T** esse, ut substantialitatem  
designet. Falemure etiam propositionem hanc, hoc est cor-  
pus meum, veram esse non posse, si verbum substantivum  
**E S T** in propria significatione sumatur, & simul ad id re-  
spiciatur quod ante horum verborum prolationem existit.  
Nam verum esse non potest, quod hoc, id est hic panis in sua  
substantia permanēs, sit corpus Christi: & nihil minus ne in  
Christum, qui veritas est, blasphemisimus; ambo defendi-  
mus verum esse quod accepto pane dixit hoc est corpus  
meum. Sed tu hanc veritatem defendis, dicendo verbuna  
**E S T** non accipi in usitata & genuina significatione, sed  
pro verbo significat, quasi dixisset: hic panis significat corpus  
meū. Ego vero, immo Catholica fides defendit sententia hāc à  
Christo prolatans veram esse, accipiendo verbū substanti-

Est in suagenuina significatione: sed addit, Christus  
hanc sententiam protulisse, non respiciendo ad id quod erat  
priusquam eam enunciaret, sed ad id quod his verbis facie-  
bat, & quod futurum erat ultimo momento prolationis ex-  
orū: quasi dixisset: hoc quod ex hoc pane verbis meis facio,  
est corpus meum. Et ut ostendam hunc loquendi modum  
Christo non fuisse inusitatū; alia ejus verba profero quibus  
regulo dixit: filius tuus vivit: dixit matris sue de Ioanne A-  
pololo, Ecce filius tuus: dixit ipsi Ioanni, Ecce mater tua:  
quibus verbis non intendit significare quod præfuerat, sed  
facere quod nondum erat: sicut supra latius persecuti su-  
mus. Imò etiam verbo praterito significavit quod non præ-  
fuit, sed tantum prolata oratione perfecit, dicens: Mulier  
dimissa es ab infirmitate tua. Quia igitur hujus collationis  
initio tam gratanter accepisti, quod dixi, judicium de Chri-  
sti Ecclesia ex sola scriptura juxta D. Augustinum peti de-  
bere cui etiam subjecisti reliquas controversias nullo nego-  
tio compositum iri, si ad verba Domini salvatoris scripturis  
sanctis tradita tanquam ad Lydium lapidem explorentur:  
oro, ut quemadmodum ego multis & certis scripture sacra  
testimonis ostendi Christum verbis indicativis presentis  
temporis imo & præteriti, sine ulla equivocatione tam præ-  
cedenti quam presenti scripto sapientis significasse non quod  
præfuerat antequam loqui inciperet, sed quod suis verbis fa-  
ciebat: sic etiam certa proferas testimonia in quibus Chri-  
stus verbo substantivo Est usus sit pro verbo significat,  
præsertim dicendo simpliciter: hoc est illud: ut omnibus ex  
utraque parte diligenter consideratis, facilius videri queat  
utri partim agis adhærendum sit: præsertim cum & veteres  
omnes & omnia concilia que hujus questionis mentionem  
fecerunt eam partem amplexa sint quam themur, & con-

trariam expresse damnaverint. Nullum enim unquam audi vi designari concilium in quo vestra sententia probata sit.

Fateor Berengarium primum eam in medium protulisse: sed sicut eam primus attulit. sic eam primus bis tervè abjurando, & quanquam memini, in abjuratione moriendo jugulavit. Quodais multos pro hac sententia subiisse mortem, non me movet: cum quia plures pro veritate catholica operierunt mortem, cum etiam quia Donatista & alijs plures hereticisimilia prætendentes semper ab Ecclesia cōtemti sunt. Nam ubi quis pro justitia moritur, veritatis testificatio est. bi verò pro errore, obstinationis est miseranda ostentatio. Quod fieri posse testatur Apostolus, cùm ait: Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuerō nihil mihi prodest. Martyrem non facit pœna, sed causa: si videlicet pro justitia moriatur: sicut Dominus definitie dicens: Beati qui persecutionē patiuntur propter justitiam. sed de his hactenus. Hoc unum te suppliciter oro, optimē Domine, quod & fratrem proprium si tuo loco esset obnoxio rogarēs; ut diligenter expenso libello D. Aug. de unitat. Eccles. prudētia tua consideret, an audeat confidere se esse in Christi Ecclesia, extra quam salus esse non potest. Quia in die iudicij nos non juvabit tergiversatio & subtilis defensio positionis, sed humili simplex & aperta veritatis confessio, quam in mansuetis & humilibus operatur Deus. Bene vale. 18 Decembris 1577.

Scio non tantū seculares libros vulgaresque sermones sed etiam sacros libros tam novi quam veteris testamenti plenos esse parabolis, allegorijs, tropis alijsque figuratis locutionibus: sed ego cum tropum quaro in scripturis sacris usurpatum, secundum quem verbum substantivum Est significat ponatur, quia nondum video et mihi illum reperi.

perisse: Nam ubi Christus propter aliquam proprietatis similitudinem significatur esse leo, agnus, petra, serpens, hirundo, aut aliud ejusmodi, non est equivocatio aut tropus in verbo substantivo E s t , sed illa in genuina significatione permanente, tropus in attributo queritur, idque ex iusta aliqua necessitate, sicut lib. 3. de doctrina Christ. cap. 16. a te citato docet Aug. quapropter si in his sententijs hoc est corpus meum: hic est sanguis meus, tropus aliquis esset, is (ut tua pace dicam) non esset querendus in verbo substantivo E s t , sed aut in pronominibus hic & hoc que subjiciuntur, aut in orationibus corpus meum, & sanguis meus, qua de pronominibus enuntiatur. Qui tropus specialiter probandus esset non ex alijs vocibus, sed ex ea ipsa in qua tropus esse assertur. Non enim sequitur, agnus, leo, serpens, tropo Christum significant, ergo & quavis alia vox. Hec celeriter dicto & scribo sciens te satis intelligere quid velim, etiamsi illud non admodum scite exprimam, iterum vale. eo die quo supra. Tuus Mich.de Bay.

**N**unc supereft ut carptim & quanta potero brevitate reliquis tua disputationis capitibus, que nodum questionis facere videbantur, respondeam.

1. Si Christus ex pane corpus suo benedicendo fecit, igitur simpliciter & consueta locutione verum est quod posteā dixit: *hoc est corpus meum.*

#### R E S P O N S I O .

Benedictiones in Scripturis sacris duobus modis factae leguntur: sine verbis, & cum verbis: sine verbis ut Matt. 14. Christus aspiciens in cælum, benedixit & fregit & dedit discipulis panes multiplicatos: sed nulla benedictionis verba protulisse legitur. Similiter Luca 9. ubi acceptis quinque panibus & duobus piscibus, suspexit in cælum, & ben-

dixit illis; non legitur expressa aliqua benedictionis verba. Sed Genesis 1. Deus benedixit animalibus dicens: Crescite & multiplicamini. & 35. Deus benedixit Iacob dicens: Non vocaberis ultra Iacob, sed Israël erit nomen tuum. Et 49, Iacob benedixit singulis filiis benedictionibus propriis, quas & prophetando verbis expressit. Hoc posteriori modo acceptum panem benedixit Iesus dicens, Hoc est corpus meum. *Quamobrem Christi benedictio qua panem benedixit non praecepsit hac verba. Hoc est corpus meum: sed his verbis facta est.* Ac proinde res verbis istis significata non praecepsit horum verborum prolationem, sed potius secuta est, sicut effectus causam sequitur, & ideo respiciendo ad id quod praefuit, sicut frequentius in hujusmodi sermonibus respicere solemus, non potest verum esse quod ait Christus Hoc est corpus meum: sed tantummodo respiciendo ad id quod istis verbis efficiebatur; sicut prius diximus.

2. Si benedictionis vi panis usitatus in corpus Christi transubstantiatur, quæ tandem sunt benedictionis tam efficacia verba?

#### R E S P O N S I O.

*Huic difficultati clare & diserte satisfactum est, respondendo questioni qua initio hujus collationis sciscitabaris. si subjectum positum in hac propositione, Hoc est corpus meum, mutatur, quando mutatum fuit, qua vi, quo Domini mandato, quo divini verbi argumento. Legantur verba non tam mea, quam Divi Ambrosij ibi posita; & manifestè invenietur, quòd benedictionis verba efficacia, sint Christi verba, quibus ait Hoc est corpus meum. Sicut etiam satis clare testantur Euangeliæ & D. Chrysost. circa finem homiliæ de Iuda proditore, Tomo 3. Nec dicimus*

dicimus verbo  $\text{ἰντογίῳ}$  metamorphosin aut transsubstantiationem significari. quia potest homo Deo & homini absque ulla mutatione benedicere. Sed dicimus quod quemadmodum Deus benedicens animalibus, dicendo, crescite & multiplicamini, dedit eis generati faculatem. Sic etiam Christus. benedicendo panem, his verbis Hoc est corpus meum: de pane corpus suum fecerit.

3. Libenter damus quod ait Ambrosius, Christum suis verbis elementa omnia posse commutare.

## R E S P O N S I O.

Vellem eadem facilitate dares, quod idem Ambrosius ait: Antequam consecretur, panis est, ubi autem verba Christi accesserunt corpus est. Denique audi dicentem: accipite & edite ex eo omnes, Hoc est corpus meum. Quia non ad alium finem dicit Ambrosius, quod sermo Christi potens sit omnia convertere, quam ut persuadeat quod Christus his verbis, Hoc est corpus meum & Hic est sanguis meus: panem & vinum in corpus & sanguinem suum converterit. Sed tu hac D. Ambrosii, verba, prius a me citata: Antequam consecretur, panis est, ubi autem verba Christi accesserint corpus est. Item, De pane fit corpus Christi: novo Caluini tropo eleganter expidis: quod panis antequam consecretur, panis est: sed ubi verba Christi accesserint, est corpus, non substantia, sed representatione. & quod panis desierit esse panis, non mutatione substantiae, sed i speciebus usum instituentis & finem institutionis. Certè si panis panis esse desierit quando ad significandum institutus est: igitur & vox vox esse definit, quando ad significandum instituitur, quod an aliquis mortalium unquam senserit escio. Fateor, cum supradicta verba D. Ambrosij proferem, hoc omnino de ingenuitate & acumine ingenij tui con-

fidebam, quod longè citius responderes, aut Ambrosij verba non esse, aut te ejus sententia non teneri: quam contra omnium legentiū sensum, conareris ea in alienum sensum detorquere. Sed video te ita imbutū & sensu & tropo a Calvino inventis, ut etiam pugnantissima tibi non nisi Calvinum sonent & sapiant. Quambrem vide ne hic Calvinus sensus tibi altissime impressus, sit velamen & cauterium de quibus loquitur Apostolus. Ceterū cū dicis panem nō substantia, sed representatione & institutione fieri corpus Christi: rogo quādo & quibus verbis fit panis hoc modo corpus Christi? Scio te dicturum istis verbis quando profertur Hoc est corpus meum. Ex quo infero: quod anterum verborum prolationem hic panis non fuit corpus Christi, nec substantia, nec institutione. Quero igitur ultius, quomodo supra dixisti, quod si à Christo aquam in vinum mutante dictum fuisset, Hoc est vinum: omnino vel propria significatione verbi Est deflexum eset, vel certum esse non potuisse, nisi jam antea alia quapiam facta fuisset mutatio? Nam si accepta aqua, sine deflexione a significatione verbi Est, vere dici non potest, hoc est vinum, nisi jam antea alia quapiam vi facta sit mutatio aquae in vinum, quomodo sine deflexione a significatione verbi Est verum esse potest, quod hic panis sit representatione & institutione corpus Christi, nisi jam ante ista verba aliqua quapiam vi facta fuerit præacta sacramentalis institutio qua hic panis hoc modo corpus Christi effectus sit? Iam per vides etiam secundum sensum quem prætendis, omnib[us] tibi dicendum quid Christus accepto pane dicens: HOC corpus meum: non ad id respexerit quod erat ante horum verborum prolationem, sed quod verbis suis faciebat: neque ad institutionem sacramenti, per quam dicis panem.

hunc factum esse corpus Christi. Ac per hoc vides te afferendo quod Christus dicens Hoc est corpus meum non ad id respexit quod faciebat: sicut ego dixi & scripturis sacris usitatum esse ostendi, sed ad id quod praeuerat: non tantum esse in aperto errore, sed etiam te tibi ipsi manifeste contradicere: aut certe ista duo inter se concilia; Non potest verum esse, si accepta aqua dicatur Hoc est vinum, nisi vi aliqua ante facta sit mutatio aquae in vinum: & tamen verum est quod accepto pane dicitur, hoc est corpus Christi institutione: etiam si ante horum verborum prolationem nondum facta sit iam dicta institutio sacramenti: sed nunc primum his verbis fiat quod ipsam verbis significatur.

#### 4. Rogas quomodo Christus corpus suum fregit?

##### R E S P O N S I O .

Christus corpus suum seu panem benedictum fregisse dicitur: quia sic fregit sacramentum quo corpus suum tegebatur, ut licet corpus integrum & incorruptum permaneret, tamen non ab uno tantum, sed a pluribus sub sacramenta sumeretur. Non enim uni sed omnibus discipulis ait Christus: Accipite & manducate hoc est corpus meum. Et si Dominus glori ratione humanitatis in qua ledi potuit, recte crucifixus esse dicitur, quid mirum, si Christi corpus, ratione forme panis, sub qua continetur, etiam frangere dicitur? Sed qui ad credendum tardisunt, facile tergiversationes querunt, quas Christi verbis opponant: sicut opposuit Zacharias dicens, unde hoc sciam? quem Elizabetha latenter coarguens, ait beatæ virginis: Beata quæ credidisti, quoniam perficiuntur quæ dicta sunt tibi à Domino.

#### 5. Si verbis istis hoc est corpus meum sit transmutatio panis in Christi corpus: igitur verbum E S T relictæ propria significatione, profieri possum est.

## RESPONSI O.

*Posset alius simili modo dicere: si Christus his verbis, filius tuus vivit, filium reguli sanavit, igitur verbum vivit relictā propria significatione, pro fanus sit ponitur. Et si Lazarum his verbis e sepulcro eduxit, Lazare veni foras igitur verbum veni ponitur pro facio te venire. Et denique si his verbis hoc est corpus meum efficitur, ut hie panis sit sacramentaliter corpus Christi: igitur verbum Est relictā propria significatione, pro pro fieri positum est. Quasi Deus, apud quem ab aeterno sunt omnia (nam quod factum est in ipso vita erat) non possit mediante verbo Est efficere, ut quod est ab aeterno apud illum, etiam ex tempore apud nos esse incipiat.*

6. Argumentum quo docetur verbum EST in hac enuntiatione *Hoc est corpus meum* accipi pro esse sacramentaliter: *Quotiescumque elementis terrenis spiritualium rerum nomen per verbum EST attribuitur, verbum EST non demonstrat substantiam; sed declarat quid fidei exhibeat.*

## RESPONSI O.

*Dicis infra hac eadem responsione, verbi EST unam & simplicem esse significationē. ac subiungis: Semper namque verbum EST significat esse, sed non semper significat esse substantiam: aliquando quantitatem, aliquando qualitatem, aliquando relationem. Quae verba non tantum inter se, sed etiā cum hac ratiocinatione pugnare videntur. Inter se quidem: quia ubi analogia est, non est una & simplex significatio. Sed verbum EST non potest nisi analogice pro substantia & reliquis supremis rerum generibus enumeratis ab Aristotele in categorijs accipi. quia alioqui esset unus supremū rerum genus. igitur cum significat aliquando*

quando eſe ſubtantiam, aliquando quantitatem, qualita-  
 tem, aut relationem, non eſt eius ſimplex & una ſignificatio,  
 ſed multiplex. Cum hac verò ratiocinatione, in hoc pug-  
 nare videntur hæc verba: quod ratiocinatio prætendat pa-  
 nem à Chriſto demonſtratum corpus ejus fuſſe, non ſimpli-  
 citer, ſed tantum ſacramentoſiter & ſecundum quid. Nam  
 quemadmodū eſſe aliquid imaginarie, non eſt illud eſſe ſim-  
 pliſter, ſed ſecundum quid: ſic etiam, eſe corpus Chriſti ſa-  
 cramentoſiter non eſt eſe corpus Chriſti ſimpliſter, ſed ſe-  
 cundum quid. ac per hoc ſignificatio verbi ſubſtatiui Eſt  
 non tantum ex eo multiplex invenitur, ſecundum ſen-  
 tiam tuam, quia analogiè ſignificat non tantum eſſe ſub-  
 tantiam, ſed etiam quantitatem, aut relationem, aut aliud  
 supremum rerum genus: ſed quia aliquando ſignificat eſſe  
 ſimpliſter aliquid, aliquando verò eſſe non ſimpliſter, ſed  
 ſacramentoſiter ſive ſignificatiue. Deinde non explicas in  
 hac Chriſti ſententia Hoc eſt corpus meum, an attribu-  
 tum corpus meum ſignificet verum Chriſti corpus, an  
 tantum ſignum ſeu ſacramentum corporis Chriſti. Nam ſi  
 per metonymiam tantum ſignificet ſignum ſeu ſacramentum  
 corporis Chriſti: nihil opus eſt verbum ſubſtantivum Eſt  
 novo tropo & in rhetorica hactenus ignoto explicare, di-  
 cendo quod ſignificet eſſe ſacramentoſiter: Si verò attri-  
 butum corpus meum, ſignificet veram corporis Chriſti  
 ſubtantiam: tunc neceſſum eſt verbum ſubſtantivum Eſt  
 à ſua propria ſignificatione deflectere, ut aliud ſignificet  
 quam ſignificare coſuevit cum ſimpliſter loquimur: nempe  
 ut ſignificet non ſimpliſter eſſe, ſed eſe ſacramentoſiter. Oro  
 ut hæc digneris explicare: ne forte ſuſpicemur te obſcurie  
 verbiſ eos qui parvi ſenſus ſunt velle deludere, & novo  
 tropo obumbrilare quod aperte eloqui & in lucem proferre

non audes. Sed nunc ad ipsum argumentum veniamus, quo conaris ostendere verbum est in hac Christi sententia, Hoc est corpus meum, debere accipi pro esse sacramentaliter, seu significative, etiam non obstante quod verbi E S T sit simplex & una significatio, id quod tamen mihi videtur esse anigmati simile. In primis itaque in tua ratiocinatione assumis universale axioma philosophie naturali & Scripturae sacrae prorsus ignotum, & nullo tamen Scripturae sacrae exemplo, velut inductionis initio, probatum. Neque enim nullum aduersis testimonium in quo ostendas verbi substantivum E S T pro significat vel pro esse sacramentaliter debere accipi, sed tantum asseris te existimare esse axioma perpetuum & indubitatum. De quo tamen axiomate ego vehementer dubito, quia nullum video mihi Scripturae sacrae testimonium reperire, in quo verbum E S T a sua propria significatione translatum, pro verbo significat aut pro eo quod est esse significative ponatur. Nam sicut cuam prius dixi, ubi Christus propter aliquam proprietatis similitudinem tropice dicitur esse agnus, leo, osium, serpens, vitis, lapis aut aliud e jussu modi, non est tropus aliquis in verbo E S T, quo à propria sua significatione transferatur, ut ponatur pro significat, vel pro esse sacramentaliter, sed tantum in ipsis attributis. Ut igitur rem compendio colligam, in his duabus sententijs hoc est corpus meum, hic est sanguis meus, nullus est tropus in subjectis quo à propria significatione transferantur. quia secundum tuam sententiam accipiuntur pro pane & vino proprij nominis. Nullus etiam est tropus in verbo substantivo E S T, quia ut ipse cōfiteris, una & simplex est ejus significatio qua semper esse significat: igitur secundum tuam sententiam necessum est tropum invenire in attributis corpus meum & sanguis meus,

meus, secundum quem tropum transferantur à substanzis, quas proprie significant ad earum substantiarū imagines & sacramenta. Rogo igitur ut testimonium aliquod scripture sacra proferas, ubi haec attributa, corpus Christi, caro Christi, sanguis Christi, a significatione qua substantias significant transferantur, ut harum substantiarum imagines seu sacramenta significet: ne forte tuo axiomati, cuius nullum profers exemplum presenti negotio conveniens, ego aliud axioma opponam: nempe quod in scripturis sacris non exstet exemplum in quo nomen aliquod Christi substantiam sive divinam sive humanam proprie significant, a sua propria significatione, translatum, elemento aut inanimate substantiae tribuatur, ad significandam aliquam ejus proprietatem. Nam licet Dominus apud Psalmistam hominem ad suam imaginem conditum & divina naturae consortem hoc honore afficiat, ut substantia sua nomen tropo quodam illi commune faciat, dicens: Ego dixi dij estis, & filii excelsi omnes: attamen non facile invenietur tale aliquid inanimenta substantia tribuisse.

7. Qui panem benedicunt, vel de benedicto pane participant, non debent hærere in proposito pane & poculo: sed elevata mente per fidem, considerare agnum Dei.

### R E S P O N S I O.

Quis nescit panem hunc benedictum esse Christi mortis sacramentum? unde etiam mandatum est à Domino, hoc facite in meam commemorationem: ut & offerentes hostiam salutarem, & participantes, elevata mente per fidem, perpetuo in eam formam intenti sint quā Christi corpus habuit, & in cruce per passionē, & in resurrectione per gloriam & immortalitatem. Sed nunquid inde sequitur

*corpus istud in sacramento non contineri? alia forma consideranda est, ut perpetuo habeatur passionis & resurrectionis memoria, sed non alia substantia quam in sacramento ipso contineatur.*

8. Sicut cum de Sacramento agitur, jubemur accipere & manducare corpus Christi: sic etiam Ioan. 6. dicitur, nisi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Sed apud Ioannem, testante Aug. figura est præcipiens passioni ejus esse communicandum, & suaviter atque utiliter recondendum in memoria, quod pro nobis caro ejus crucifix & vulnerata est: igitur etiam figurata sunt Christi verba quibus ait: *Accipite & manducate, hoc est corpus meum.*

#### RESPONSIO.

*Verba Christi apud Ioannem quæ nondū instituto corporis & sanguinis Domini sacramento prima facie significabant carnem Christi eo modo manducandam esse quo laceramus & manducamus carnes bovinæ & arietum, iuxta Aug. simpliciter accepta flagitium, aut facinus jubet. & ideo figuratae accipiendas sunt. Sed quia tale nihil jubent verba Christi, offerentis corpus suum manducandum & sanguinem bibendum sub specie panis & vini: Ideo nihil opus est hic figura. Deinde quando ait August. figuratam esse locutionem qua dicitur: nisi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis, & caro mea vere est cibus: nunquid dicit figuram esse in nominibus carnem & sanguinem, an potius in verbo manducaveritis & in nomine cibus? sicut & in nomine panis, quod ibi transsumitur ad significandum omnem id quod uitam tribuit, sicut & in eo testimonio quod*

ex Apostolo protulisti: panis quem frangimus &c. Non  
dum quicunque reperisti testimonium in quo nomina hoc cor-  
pus, caro aut sanguis Christi transsumuntur ad signifi-  
candam imaginem carnis aut sanguinis ejus, sed tantum re-  
peristi aliarum vocum translationem, que designandis veri  
corporis & sanguinis Domini proprietatibus descrivant:  
nempe harum vocum cibus, panis, manducaveritis. Si-  
cuit enim esurire dicimur quod vehementer desideramus, sic  
manducare quo delectamur. Cuius difficultatis tibi con-  
scius, hactenus videris voluisse tegere quod in nominibus cor-  
pus meum, sanguis meus figuram intelligeres, quam in  
Scripturis sanctis invenire non potes, & ideo illam in verbū  
E S T, transferre voluisti. Sed quia etiā illius verbī figura-  
tā translationem a te prætensam in Scripturis sanctis inve-  
nire nō potes, ideo adhuc in luto heres, nec invenis quomodo  
ex Scripturis sacris hanc cōtroversiam inter nos componas,  
etiā illā ex Scripturis sacris componendam tibi libēter of-  
feramus. Non n. sequitur, verbum manducaveritis & no-  
mina cibus & panis ad significādam aliquā veri corporis  
& sanguinis Christi proprietatē transferuntur, ergo etiam  
nomina hæc corpus meū, caro mea, sanguis meus trā-  
feruntur ad significandas harū substantiarū imagines aut  
sacramenta, nec sub signo servit qui corporis & sanguinis  
Christi veritatē sub venerabilis sacramenti speciebus cōti-  
tineri contendit: si modo per species ipsum corpus ac sanguine  
ibi invisibiliter contentū, formā passionis & resurrectio-  
nis ejus recolat: sed potius Manichæis accedit, qui per cor-  
pus & sanguinem Christi nō corporis & sanguinis veritatē,  
sed imaginē intelligendā prescribit. Quia si non veritas sed  
imago corporis Christi intelligitur, ubi ait Christus hoc est  
corpus meū: quid prohibet etiā Manichæos dicere, quod ubi  
sunt corp⁹ & sanguis Christi nominatur, ibi nō veritas, sed

imago & phantasma debeat intelligi? Nec causam juvare potest, quod super caput 6. Iohann. ait August. tract. 26: manducare illam escam & bibere illum potū, esse in Christo manere & illum manentem in se habere, quia ibi per escam & potum non intelligitur corporis & sanguinis nudum sacramentum, sicut intelligi vis per corpus & sanguinem Christi, cùm ait Christus hoc est corpus meum, hic est sanguis meus: sed solum ostendit quis sit modus manducandi veram carnem & verum sanguinem de quo ibi loquitur Christus, aut si ibi ullam carnis & sanguinis transsumptionem intelligit August. non eam intelligit, quae est de veritate corporis & sanguinis Christi ad signa corporis & sanguinis ejusdem: sed tantum que est à capite ad corpus, id est à Christo ad Ecclesiam; ut cùm dicitur quod iste cibus & potus sit societas sanctorum. Vnde nec ullo modo conformiter ad capit. 6. Iohannis loqueris, quando temet ipsum urgens interrogas, an non revera panis est corpus Christi? ac deinde respondes; est sane, & tamen verissime, non substantia, sed quoad significationem. quia apud Iohannem nullum est prorsus iudicium quod panis in sua substantia permanens sit corpus Christi propter aliquam significationem, sicut videri vis: Sed Christus se & carnem suam panem & cibum nuncupat, quia cum pane & cibo similem habet proprietatem, quia videlicet dat vitam mundo. Iuxta quem modum, etiam pater ipse panis nuncupatur, cùm dicitur: percussum sum ut fœnum & aruit cor meum: quia oblitus sum comedere panem meum. Non enim vocatur Deus, panis angelorum aut hominum ante lapsum: quia pane materiali significatur: sed dicitur panis: quia in se sperantes & sibi adhaerentes vivificat, sicut panis materialis vivificat se comedentes. Addis ex scripturis sacris mul-

vas metonymias, sed qua causam non tangunt, quia nulla earum probat corpus & sanguinem Christi transferri ad significandum signa corundem: etiam si ipsum sacrametum sub quo Christus continetur signum sit ejus forma qua in ejus morte apparuit.

Et quis ignorat omnia sacramenta esse signa? Sed dum Calvinus ex hoc fundamento conatur ostendere ipsa Sacramenta tantum esse signa, & nullum prorsus effectum habere nisi quod significant, non autem quod nostram salutem operentur; eodem modo prorsus argumentatur quo tu hic, sic colligendo: Sacramentum Eucharistiae est signum, ergo non est corpus & sanguis Christi. cum utrumque sit & signum Christi morientis promundi vita, & veritas corporis & sanguinis Christi. Sicut aqua in Baptismo & signum est, & aqua esse non definit; sed simul aqua & signum est, sed quando sibi relinquitur, tunc tantum aqua est. Sicut dicit Augustinus, quid est aqua, nisi aqua? Quando vero sub certa verborum forma ad baptizandum adhibetur, tunc efficitur visibile signum: nec tamen dici potest quod definit esse aqua: sed id vere dicere debet, si aqua in unum mutaretur. Sed tu aquitatem iudicij postulas in eo quod dixi Apostolum dicentem: Panis quem frangimus nonne communicatio corporis Domini, est: non velle dicere quid sit panis: sed quid participatione huius panis significetur & efficiatur. Quasi ego dixerim, verbum EST pro significat esse positum. Video enim hunc Calvini tropum, quo aliquid aliud esse dicitur, quia ipsum significat ita animo tuo impressum ut vix quicquam dici queat quod non statim eò trahas. Dixi igitur in eo quod dixit Apostolus: panis quem frangimus: non significari quid sit panis, sed quid participatione huius panis efficiatur: non exponendo verbum EST per-

significa, sed ostendendo cuius rei sacramētum sit consecratio  
bujus venerabilis sacramēti, quasi dicas: panis quem fran-  
gimus, id est, sumptio panis benedicti, est participatio seu  
sumptio corporis Domini, & simul omnium nostrum cum  
ipso unio, id est unionis sacramentum & causa. Puto enim  
bujus transsumptionis tropum, tibi ignotum non esse: se-  
cundum quem etiam dicitur quod Christus factus sit sa-  
pientia & justitia, id est sapientie & justitiae causa.

9. Dicit August. de doctrina Christiana lib. 3. cap.  
2. miserabile esse servitutē, signa pro rebus accipere.

#### R E S P O N S I O.

*Signa pro rebus non accipit qui in tremendo Eucharistia  
sacramento corporis & sanguinis Christi præsentiam agno-  
scit: præsertim si simul intelligit ipsam Eucharistiam esse  
etiam passionis Christi memoriam. Servitus est ubi quod  
signum est restantū esse putatur, non ubi signum agnoscitur,  
& res quæ illo signo tegitur non negatur.*

10. Addis Christum in omnibus Sacramentis nos  
revocare ad ascensionis suę in cælos considerationē:  
ac proinde non esse nobis de substantiarum corpo-  
ralium transmutatione laborandum.

#### R E S P O N S I O.

*Quid si alius dicat, Christum sua incarnatione & om-  
nibus miraculis que in terris fecit, nos ad cognitionem &  
amorem cœlestium revocare: igitur non esse contra Mani-  
festo, neque de veritate incarnationis, neque de veritate  
miraculorum laborandum, sed tantum de ijs ad quæ nos  
per ista revocar. Vidēsne in quæ prærupta, nos ejusmodi  
argumenta precipitent?*

11. Paulus infinitis locis panem post consecratio-  
nem non minus panem appellat quam antè: igitur  
ever-

evertit fundamentum transubstantiationis.

## R E S P O N S I O.

*Christus apud Ioannem se panem appellat: ego sum panis vivus qui de calo descendit: igitur evertit sue divinitatis atque humanitatis veritatem. Item dicit: panis quem ego dabo caro mea est: igitur evertit carnis date in cruce veritatem. Si autem Christus et caro ejus, panis seu cibus verissime dicitur, quia dat vitam mundo; quare non potest similiter etiam panis benedictus et in corpus Christi conversus, panis nuncupari, etiam si post benedictionem non remanserit substantia panis, sed forma remanente versatur in corporis Christi veritatem?*

Post haec profers aliquot sanctorum patrum testimonia, quibus videri vis eos suo tempore sensisse et docuisse sententiam quam tueris. Sed quia his, ante annos fere quingentos, per Lanfrancum, Guitmundum, Algerum, et nostro saeculo per Ioannem Heselium, aliosque plures plenissime satisfactum est, productis etiam longe plurimum pluribusq; ac manifestioribus sententijs, quibus manifeste probantur id et docuisse et sensisse quod usque in hodiernum diem sentit et docet Ecclesia catholica, id quod et ipse satis videris agnoscere: quando fateris eos interdum hyperbolice de hoc sacramento locutos. Nam quod aperte et simpliciter dixerunt, hoc videris hyperbolice dictum interpretari; ne cogaris fateri esse mendacium. Quia igitur his patrum testimonij per alios satis responsum est; ideo his praetermissis, ad illud transeo quod ait in fine responsionistue.

12. Horrendam Gothorum vastationem Ecclesiam corrupisse; ipsamque Romanorum Pontificum sub minibus territam, invexisse doctrinam de transubstantiatione.

R E S P.

## RESPONSI O.

Obsecro ex qua scriptura sacra aliquando didicisti, Et ecclesiam Christi persecutionibus esse corruptam, & non potius a vitiis & erroribus, qui dormientibus hominibus tempore pacis irrepere solent, veluti à somno excitatam & purgatam, promittente Domino apud Psalmistam: Si dereliquerint filii tui legem meam, & in iudicis meis non ambulaverint, & maledicta mea non custodierint, si iustitias meas prophanauerint, visitabo in virga iniquitates eorum & in verberibus peccata eorum: misericordiam autem meam non dispergam ab eo, neque nocebo in veritate mea. Non enim continet Deus in ira misericordias suas: sed corripit in misericordia & miserationibus. Sicut etiam Ecclesia orat apud Psalmistam: 'Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Non enim in ira corripit, quando ad hoc corripit ut emendet, & purgat palmites in se fructum facientes, ut fructus plus afferant. Vnde etiam confidenter dicit: Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt; fructu videlicet qui ex flagellis nascitur. Bonū mihi inquit quia humiliasti me, ut discam iustificationes tuas. De quo Apostolus: In disciplina perseverate, tanquam filii vobis offert se Deus. Et rursus apud Psalmistam: Sepe expugnauerunt me à juventute mea, dicat nunc Israël, id est, se antiquis exemplis in persecutio consoletur. Sepe expugnauerunt me à juventute mea: etenim non potuerunt mihi, scilicet nocere, sed potius prodesse, quia major serviet minori. Et omnis iniquorum persecutio consumitur, operando salutem iustorum. Disciplinam Ecclesie non persecutio, sed pax longa corrumpit. Vnde Prosper in Sent. Initio Ecclesie quolibet errore cacentur, si accipiunt potestam corporaliter affligendi, exercent ejus patientiam: si

tanquam-

tantummodo male sentiendo adversantur , exercent ejus sapientiam: & etiam, ut inimici diligentur , exerceant ejus benevolentiam . quia Deus ipsis qui eum diligunt omnia cooperatur in bonum . Sed & ipse memoria repetens que ab annis quinquaginta sex vidi, quando auctore Lutherio coepit heres has inferiores provincias infestare : inuenio & abbatias monachorum, & capitula canonicorum, & multitudines inferiorum clericorum, & turbam laicorum, ab innumeris & infandis sceleribus esse repurgatam , quae facile possem explicare , si liberet in hominum vitijs expatriari . Noli ergo frater Sanctoaldegondie, noli existimare Ecclesiam Christi fuisse Gothorum vastatione corruptam aut extintam ; ut pernicio sum errorem de transubstantiatione suscipieret, suscepimus, defenderet, sed crede fuisse à somno excitatam & purgatam, ut nascenti errori circa tremendum Eucharistie Sacramentum sese sincere & constanter opponeret: & fidem Catholicam non tantum verbo , sed etiam celebri festivitate & convenientibus ritibus , toto orbe terrarum concordibus animis prædicaret : sicut hodie transactis quingentis annis ab exorto errore constantissime prædicat . Heresum & scismatum est , instar torrentis subito extollit, & sedata tempestate paulatim deficere , sicut testatur Psalmista : Vidi impium superexaltatum & elevatum sic uero cedros libani & transiui & ecce non erat, & quæsivi eum & non est inventus locus ejus . Sicut defecerunt Donatisti, qui de ducentis septuaginta Episcopis gloriabantur: defecit Berengarius & post eum Hus & VVicleff: imo & ipse Lutherus magna ex parte, recedentibus ab eo Carolostadio & Zwinglio, qui sine episcopis ac presbyteris aliisque sacris ordinibus in scriptura sacra commendatis, filiorum ab Ecclesia recedentium turbam coacervantes , Calvinos se tamquam pa-

raverunt. que an diu subsistet an verò paulatim degenerabit adjectam Anabaptistarum sicut Lutherana degeneravit ad sectam Calvinistarum, novit Altissimus qui ad nostram correptionem & purgationem, illam & alias permisit ex surgere: quae aut non flagellantur recedente zelo Domini ab eis, aut flagellis non emendantur: sed proficiunt in pejus, errantes & in errorem mittentes: Christi verò Ecclesia adversus quam porta inseri non prævalebunt, stabit in eternum. & licet aliquando velut obnubiletur multitudine scandalorum & falorum frairum, qui orta persecuzione exeunt, & instar palcarum vento flante his atque illuc rapiuntur: attamen etiam tunc in suis firmissimi eminet, ut nunquam ab condatur civitas super montem Christum posita: sed semper & bonis ad consolationem & malis ad persecutionem, satis sit nota & ab heresis scismatisq; discreta. Bene valez. Ianuarij 1578.

Tuus Mich.de Bay.

PHILIPPVS MARNIXIVS  
• S A N C T O A L D E G O N D I V S  
*Michaeli Baij.* S. P. D.



A M plusquam annus est quod reverso mihi ex Frisia, quô negotiorum publicorum causa fueram ablegatus, Amplissime Cancellari, seriūs redditæ furent tuæ literæ. Et tamen dum respon- sionem parabam satis festinanter & tumultuarie, de- nuò ablegatus fui in Germaniam : ubi præter op- nionem per aliquot menses hærendum fuit. Postea verò quam huc redij, audio Lovanium in hostium isse potestatem. quod quidem mihi non solùm per se fuit gravissimum: sed ea etiam re molestum , quod non putarem nos posthac institutam nostram per li- teras disputationem commodè posse perficere. Neq; enim est animus ullum tibi periculū creare apud eos qui omni nobiscum communicatione graviter solēt interdicere. Itaque putavi commodius esse tempus exspectādum, & in aliam opportunitatem reliquam nostram disputationem rejiciendam, si fortè Domi- nus sua benignitate nos iterum aliquādo conciliare & pristino amicitiae ac civitatis vinculo nectere di- gnetur. Dum id exspecto, adfertur mihi ex Franc- fortensibus nundinis libellus cum hac inscriptione, *Michaëlis Baij Regij in Theologia Professoris Acad- mia Lovaniensis, ad quæstiones Philippi Marnixij San- ctæaldegondij, de Ecclesia Christi & Sacramento altaris responsio. Perlustrō, & comperio meam responsonem meaque omnia argumenta de re Sacramentaria pe-*

nitus esse omissa : solam illam Epistolam qua probabam tuam de Ecclesiæ ~~scripturis~~ in solo Dei verbo consistente judicium, adjunctam, reliqua omnia esse. Miror profectò tam mala fide à te nobiscū agi , qui theologum & quidem Regium te esse proitearis: neque possum tantam contumeliam non tam in me quam in ipsam Deiveritatem irrogatam, silentio præterire . Itaque responcionem illam quam totius penè anni intervallo abjeceram , repeto & abservo , atque in lucem do: & simul tuas omnes epistolas, ut apud me ad verbum asservātur tua manu obsignatę, addo ; ut faciat lector judicium apud quem sit veritas. In hoc si quid erit quod minus tibi placeat vel facti vel scripti ratione , tu tibi imputabis , qui tam iniquum te mihi haud unquam lacepsitus præbueris: Itaque venio ad tuam epistolam . Ais , non rectè me tuum animi sensum comprehendisse . Quum enim dices; Enuntiationes simplices in quibus alterum de altero mediante verbo substantivo E s t enuntiatur, aliquando proferri intentione asserēdi id quod est, priusquam talis enuntiatio proferri incipiat: alii quando verò intentione faciendi id quod nondum est quando ejusmodi oratio enuntiari incipit; sed tunc demum erit quando ipsa enuntiatio absoluta fuerit. Haud voluisse te significare(uti à me est acceptum) quasi verbum substantivum E s t bifariam accipiatur, aliámque significationem una atque alia ratione loquendi habeat: Sed tantum voluisse ostendere, enuntiationes quasdam , manente eadem usitata & genuina omnium vocum significatione, posse alia & alia intentione dici, nempe intentione asserēdi quod

quod præfuit, & intentione faciendi quod non præfuit, sed quod demum erit quando ejusmodi enuntiatio absoluta fuerit.

Tu verò Eruditissime Domine vide quām pingue mihi ac rude sit ingenium, qui non possum hīc nisi prævaricationem aut collusionem animadvertere. Dum enim quod dixi simulas te destruere, planè astruis. Nec enim aliter potest intelligi, nisi orationē esse earum notionum quas animo ex speciebus impressas infixasq; comprehendimus notam. Ex notiones si sint diverse inter se, omnino efficitur orationes quibus diuersæ illæ notiones explicātur notanturque necessario aut diversas esse, aut certè diversas habere significationes. Verissimum enim est quod ait Philosophus ἔσι μὲν ἐν τὰς ἐν τῇ φωνῇ τῶν ἐν τῇ,,  
 Φυχῇ παθημάτων σύμβολα, καὶ τὰ γραφόμενα,,  
 τῶν ἐν τῇ φωνῇ, hoc est. Quæcunque voce efferuntur mentis sunt symbola, non aliter quām vocis sunt symbola ea quæ scripto explicantur. Quod igitur intentione mentis quis concepit, id si verborū notis explicet, ea verba intentionem illam complectantur necesse est. Quum igitur ait, enuntiationes manēte eadem usitata & genuina omnium vocum significazione, posse alia & alia intentione dici: quid aliud designas nisi easdem illas enuntiationes idem significando non idem tamen significare, diversasq; & non easdem intentiones una tamen & eadem significazione explicare? quod certè aut est omnium absurdissimum & planè inter se dissidens, aut ego Latinè nō intelligo. Nam si alia quidem atque alia est enuntiatio

antis intentio, & tamen intentionis notæ seu voces non aliud atque aliud significant, sed unam simpli-  
cem & genuinam significationem retinent: næ aut illæ intentionem enuntiantis nequaquam explicat, aut simile eadem est & non eadem loquētis intentio verborumque significatio. Vides in quas te tendi-  
culas indueris, dum apertam rerum veritatem invo-  
lucris orationis obtegere conatus es. Exempla quæ producis vel nihil prorsus habent cum nostro hoc argumento simile, vel si qua in re convenient, fa-  
ciunt contra te. Ecquid enim, amabo, habet simile,  
unam naturam commigrare in alteram, & quidem substantiam brutam vita, sensu, ratione atque anima carentem in divinum Dei domicilium, in sanctum sublime ac gloriosum Christi Dei filij corpus com-  
mutari ac transubstantiari (ut loquuntur vestræ sa-  
pientiæ antistites) cum ijs propositionibus quibus significatur accidere quipiam substantiæ quod na-  
turali rerum serie usuvenire plerunque soleat. Quid enim est usitatius in rerum natura, quam humanum corpus ex ægritudine convalescere? Aut ecqua tan-  
dem rerum commutatio seu potius ~~ελλείωσις~~ potest esse naturalior, quam infirmum corpus reddi firmū,  
& è diverso? Quare si in ejusmodi enuntiationibus quod duntaxat sit, vel in actu est ut fiat, jam esse di-  
ceretur, nemini posset mirum videri: quemadmodū si quis calidum esse diceret qui calefacat, frigidū qui frigescat, saturum qui saturetur, sanum qui sanetur, mortuum qui moriatur: propterea quod non modò in ejusmodi enuntiationibus potentia ad actum, sed ipsius actus inchoati ad perfectionem est ita procli-

clivis atque ~~zūeros~~ appullius , & usque adeo breve intervallum , ut vel penè pro eodem habeantur , vel certè nullam obscuritatem ab uno ad alterum traducta pariat oratio . At verò ubi dissimillimæ & disparatæ naturæ sive substantiæ , quibus ( ut quæ toto genere inter se dissideant ) penitus nihil est commune , aliæ in aliam transformari significantur : ecquis est ita rerum omnium rudit , qui antequam illa ipsa tam mirifica transformatio seu ~~permutationis~~ jam perfecta esse indicetur , putet eam per verbum Est posse constitui , manente neque quicquam immutata verbi Est genuina atque usitata significatione ? Ut si quis quia Christus dixit , ego sum vitis , vos verò palmites , ideo mordicus contendat , verbi Est manente genuina significatione Christum Dei filium in vite fuisse aut nos in palmites transmutatos . Enim verò haud magis sunt disparata Christus & vitis , quam Christus & panis . nec minus verus nec minus omnipotens est Dei filius , ut efficiat quod ait , & rerum naturas inter se commutet , dum se vitem & quidem vitem veram esse asseverat , quam dum panē vel hoc quod omnes Euangelistæ testantur fuisse panem suū esse corpus testatur . Neque est denique transubstantiationis commentum in uno minus quam in altero vel alienum vel portento sum .

Ait Christum dixisse regulo , Filius tuus vivit , alia intentione quam ejus servi totidem illa verba , filius tuus vivit , usurparint : manente tamen penitus eadem ac simplici vocum significatione . Non hic repetam quod ante ostendi : Si eadem est vocum omnium utroque significatio , sane & eadem est dicentiū in-

tentio: aut certè vocum significatio intentionem di-  
centis minimè explicat. Tantum dicam, immerito  
me perstringi quasi huic argumento in superioribus  
,, meis scriptis non responderim. Generali enim illa  
,, propositione satisfeceram quadixi, Illas enuntiatio-  
,, nes quæ quidem eo ipso momento quo proferri in-  
,, cipiunt sunt verissimæ, neq; aliud indicant nisi quod  
,, jam re ipsa perfectum est, nihil ad tuam ratiocinati-  
,, onem pertinere. De reliquo te judicem faciam, an  
cùm id Christus regulo illi diceret, non indicabat  
jam convaluisse sua virtute ac voluntate ejus filium.  
Itaque eo ipso momento quo verba proferebat vel  
proferre incipiebat, jam sanus erat filius, non quidé  
vi illorum verborum quæ merè sunt enuntiativa seu  
indicativa: sed virtute divina Christi qui voluerat fi-  
lius reguli convalescere. A quo quām procul absint  
illa verba *hoc est corpus meum*, velex tua ipsius sentē-  
,, tia æstimo. Ita enim scripsisti; Quando Christus  
,, ait, *Hoc est corpus meum*, non ostendit asserere  
,, quod panis quem tunc præsentem habebat, quum  
,, hæc incipiebat dicere, esset ejus corpus, quia id fal-  
,, sum est &c. Vides hīc nihil esse quod tuo de trans-  
substantiatione dogmati nō repugnet? Verissimum  
enim est quum Christus inciperet dicere, *Filius tuus  
vivit, eo ipso momēto vixisse filium & sanum suis-  
falsum autem, suisse panem factum corpus, quum  
inciperet dicere *Hoc est corpus meum*, tu ipse disertis  
verbis asseveras. Hallucinaris itaque si existimas ex  
illius exempli similitudine transubstantiationem  
posse comprobari. Alterum illud exemplum, Mulier  
ecce filius tuus, ita prorsus facit à nobis, ut vel effi-  
caciissimè*

cacissimè nostram confirmet sententiam. Neq; enim es usque adeo transubstantiationis studio & amore fascinatus ut arbitreris ijs verbis voluisse Christum substancialiter mutare Ioannē in virginis Mariæ filiū, vel virginem in illius matrem, tantum enim indicat velle se ut Ioannem illa loco filij habeat atq; amplectatur; illamque vicissim Ioannes matris loco veneretur. Nec est quod hic adoptionis juridicæ asilum tibi patrocinari posse arbitreris, ut significationem quam posuimus impugnes. Non enim agit hīc jurisconsultum Christus (quamquam ne ipsa quidem adoptio apud jurisconsultos ullam rerum metamorphosin introducit) sed mōrentem virginem matrē, Ioānis charissimi Apostoli præsentia ac pietate, quasi quadam sui absentis imagine, repræsentatione ac significatione consolatur. planè quemadmodū Symbolum ac Sacramentum sui corporis in cœlum assumpti vult haberi à nobis pro ipfissimo suo corpore, ad fidem unionis, quam cum ipso habemus, ita confirmandam fulciendamque, quasi vel ipsis manibus atq; ore palpandū nobis suū corpus traderet.

Quod quidem, ne exoticos quæramus interpres, ipsem Christus disertissimè indicat, dum adjicit: Quoties id feceritis, in mei memoriam facietis. quasi dicat, nos ea actione, memoriæ, atque oculis animi mentisq; nostræ sistere Christum præsentem. Et Paulus, Mortem Domini annuntiabitis donec veniat. Cui planissimè adstipulatur Augustinus inquietus, Quum ait Dominus, Nisi manducaveritis carnem filij hominis, &c. figura est præcipiens passioni Domini esse communicandum, & suaviteratq;

utiliter recondendum in memoria quod pro nobis  
 caro ejus crucifixa & vulnerata sit. Quod enim tu in  
 posteriori tua epistola ad hæc Augustini verba effu-  
 gium paras, dum ait ideo apud Ioannem illa verba  
 fuisse figuratè accipienda quod prima facie signifi-  
 carent eo modo esse manducādam Christi carnem,  
 quo laceramus & manducamus carnes boum, nugas  
 agis. Neq; enim hīc de modo sed de re disputat Au-  
 gustinus, definitq; omnino flagitium & facinus esse,  
 humanam carnem quocunque tandem modo seu  
 integrum seu laceratam māducere, ac proinde, Man-  
 ducere Christi carnem & bibere eius sanguinem ni-  
 hil aliud esse nisi condere in memoria carnem ejus  
 pro nobis esse crucifixam & vulneratam. At qui sanè  
 nemo nescit unum tantum esse Christi corpus quod  
 à nobis māducetur. ac proinde Ioannis 6. de eodem  
 agi corpore de quo hic agitur. Ibi Augustinus tum-  
 ait manducari carnem illam, quum animo recorda-  
 mur & fide certa nobis persuademus carnem Christi  
 pro nobis fractā ac vulneratam esse : totidem prope  
 verbis Christi simul & Apostoli sententiam expli-  
 cans. Nec enim omnino est aliud , panis sacramento  
 in memoriam Christi instituto mortem Domini an-  
 nuntiare, nisi passioni Domini communicare , & in  
 memoria recondere quod caro ejus pro nobis cru-  
 cifixa & vulnerata sit. Fides enim, si nescis, unica est  
 ratio qua in Christi corpus uniamur & fiamus os ex  
 ejus ossibus & caro ex ejus carne, ac proinde carnē  
 ejus manducemus & bibamus sanguinem . Quod, si  
 mirum videtur vobis qui déte carnem ejus vos pre-  
 mere & sensualiter atterere gloriāmini, audite Chri-  
 stum

e. Ego  
 Beren-  
 garius  
 de cōf.

stum disertè pronuntiantem, Qui venit ad me non <sup>d.s. &</sup>  
 esuriet, qui credit in me nō sitiet in æternum, & cre- <sup>in cœc.</sup>  
 dite spiritalem hanc famem ac sitim non dente sed <sup>Later.</sup>  
 fide restinguī, propterea nimirum quòd cibum illū  
 æternum ac vitæ panem nobis edendum fides præ-  
 beat. Quo sensu præclarè scriptū est ab Augustino,  
Quid paras dentem & ventrem? crede, & manduca-  
 sti, & item, Nulli aliquatenus dubitandū est unum-  
 quemque fidelium corporis & sanguinis tunc esse  
 participem, quando in Baptismate membrum effici-  
 tur Christi, nec alienari ab illius panis calicisq; con-  
 fortio, etiamsi antequām panem illū edat calicemq;  
 bibat de hoc seculo migraverit in unitate Christi cō-  
 stitutus. Sacramenti quippe illius participatione ac  
 beneficio non privatur, quando in ipso id quod Sa-  
 cramentum significat invenitur. In quo certè nihil  
 docet aliud nisi quod ipse asseverat Paulus, eos qui  
 in Christo baptizati sunt Christum induisse. & rur-  
 sus, Christum habitare in nobis per fidem &c. Quæ  
 certè omnia nobis deferuntur, exhibentur, & revera <sup>Gal. 3.</sup>  
 præstantur donanturq; in sacrosancto panis hujus <sup>1. Cor.</sup>  
 & calicis sacramento. Fide enim hoc Domini testa- <sup>1.</sup>  
 mentum quod morte & sanguine semel sanctum est  
 amplectentes, omnino & Christum induimus, &  
 cum eo coalescimus, ejusque carne & sanguine enu-  
 trimur, & in ejus communionem imus, & denique  
 totum Christum in nobis habitantem eadem fide  
 complectimur. Ad cuius certè admirabilis ac tre-  
 mendi neque unquam satis comprehensi mysterijs  
 ratam, sanctam atque exploratam certitudinē, panis  
 ac vinum pro pignore, arrha, <sup>regeydi</sup> atque indubi-

tata promissionis divinæ tessera nobis proponitur,  
& in ejus memoriam commendatur, tantisper do-  
nec ipsem denuò veniat, id est, donec suo adueftu  
reipſa, perspicuè ac manifestè promissionis veritatē  
atque effecta in salutem omnium credentium com-  
probet. Interea sublato in cœlum suo corpore, vult  
hæc nobis pignora haſtenus in illius vicem substitui  
quoad nobis mortem ejus annuntient, & novum  
sanguinis testamentum loco illius veteris, quod agni  
paschalis celebratione, & brutorum animaliū cæde  
ac sanguine cōstabat, ob oculos quasi præfens fīstat.  
Quum igitur hīc nobis Ioannis Apostoli & virginis  
matris exempla profers, nā tu mihi prorsus collu-  
dere videris clarissime Doctor & prævaricari. Planè  
enim quemadmodū nec ex Maria Ioannis matrem  
Christus ijs verbis fecit, ac proinde neque Ioannes  
in virginei uteri ſubſtantiam oculos conjecit, ut ſibi  
ex omnipotentia verbi divini fulcrum ſtruereſt ad  
novum indidem quærendum naturæ ſuæ ortum;  
neq; nobis ſunt configenda miracula, ut prætextu  
omnipotentiæ divinæ absurdam atque inauditam &  
à scripturis omniq; sacramentorum ratione & ana-  
logia remotiſſimam metamorphoſim pro libidine  
architeſtemur. Quod autem aduers Christum man-  
dando multa feciſſe, non equidem diffiteor, ſi man-  
datum referas ad mentem ac voluntatem, & non ad  
magicam vim verborum, quæ tantummodò ad illā  
explicandam indicandamq; adhibentur: Et nihil  
minus certè, argumentum à verbis mandandi ad  
enuntiādi voces traductum quām sit elumbe nemo  
eft qui non videat. Quanquam, quid attinet his im-  
morari,

morari, cùm neque antenequé post hęc verba enuntiativa, ullam omnino ex Euangelistarū verbis possis producere circunstantiam, ex qua appareat Christū voluisse, ut ex panis eversa substantia sibi corpus cōstaret, sub nudis accidentibus delitescens. Quod si fecisset, tum demum tibi pugnandū esset ut his verbis indicativis *Hoc est corpus meum* illud ipsum posse significari evinceres. Sed cùm omnes undiquaque circunstantiae reclament, cùm omnes Euangelistæ testentur de pane Christum loquutum esse, quum omnes Apostoli consentiant etiam post cōfsecrationem panem esse qui frangitur; Christus doceat manifestissimè ad memoriam suæ mortis esse institutū, & nihil esse nisi testamentum corporis & sanguinis pro nobis expositi, & nobiscum individua societate ac manducatione spiritali conjuncti: cum universa Ecclesia fateatur esse Sacra menta, symbola, signa, significationem, typos, antitypa, figuram, mysteriū, mysticam mensam, quæ unusquisq; cùm percipit (ut Augustini verbis utar) quo referantur imbutus agnoscit, ut ea non carnali servitute, sed spiritali potius libertate veneretur: Quid est quæso causæ cur inutiliter signa interpretando, imò verò verborum significationem contorquendo, à jugo servitutis educātam cervicem de integro pergas laqueis erroris inférere, & in diversis intentionibus unam eandemque vocum significationem nequicquam rimari?

Secundo Epistolæ capite, vitiū argumentationis ambiguitate verborum panis consecrati & benedicti conaris nequicquam involvere. In quo, tuū mi Bai candorem per Deum immortalem ac vivum obtestor,

stor, ut apertè ac sine involucris rem tantam agas. Quod enim aīs antè fuisse panem usitatum, postea benedictum & consecratum, planè non dissentio. Itaque quæ inter nos conveniunt in medio relinquantur. Sed video te propterea quod vereāre dicere id quod sentis, nimirum antè fuisse panem, postea non panem sed corpus, neq; habeas Christi verbum quo celerem hanc atque improvisam mutationem fulcias: pro corpore succenturiare panem consecratum de quo nulla penitus est cōtroversia. Cūm enim in sacrum usum hic panis à Christo instituatur ad ejus memoriam celebrandam: nemo est qui dubitet quin illa ipsa sumtione atque institutione panis jam sit sanctus & consecratus. Quod enim ad sacros usus destinatur sanctum esse nemo non satetur: Sed quæsivi an verbum *comedit* construatur cum substātia panis, an cum substātia corporis. Hic tu mihi candidè, genuinè, atque ~~απλῶς~~, debueras respondisse. neq; differentias consecrati seu benedicti & usitati usque ad nauseam ingessisse: cūm de illis ne tantillū quidem inter nos dissentiamus. Sic itaque ratiocinor: Quum Christus jubet accipere & edere Apostolos, jubet hoc ipsum accipere & edere quod ipse accepit, quod fregit, quod eis dedit: Atqui accepisse, fregisse, dedisse panem, omnium universim apostolorum testimonio liquet: Panem igitur velle edi, & non ullam aliam adscititiam substātiā, luce meridiana est clarius. Quod enim tu hic nobis panem consecratū obtrudis, nihil agis. Vel tua enim ipsius confessione hic panis consecratus nihil minus est quam panis quem acceperat, quum in aliam substātiā

tiam toto genere totaq; natura discrepantem com-  
migrarit.

\* Postea ais, nos in eo consentire quod verbo **E s t**  
utriusque tribuamus substantialitatis significationem:  
quod certe quomodo vel suspicari potueris haud in-  
telligo. Ita enim scripsi disertis verbis: Vna & sim-  
plex ejus est significatio. Semper enim verbum **E s t**,  
significat esse, sed non semper significat esse substâ-  
tiam. aliquando qualitatem, aliquando quantitatem,  
aliquando relationem designat. aliquando aliam ex  
decem vocibus seu categorijs pro ratione rerum de  
quibus est sermo &c. Quomodo igitur tu jam ais  
nos ambo dicere propriam & genuinam significati-  
onem verbi **E s t** esse; ut significet substantialitatem?  
quum inter decem summas voces quæ rerum crea-  
tarum naturis tribuuntur una sola sit substantia quæ  
substantialitatem notet; reliquæ omnes ad acciden-  
tia referantur. & quidem ipse Aristot. ab omnibus  
illis decem summis categorijs τὸ ὄν κατὰ συμβεβηκός &  
sejungat & varijs etiam modis (quod non potes ig-  
norare) discriminet. Sanè si quis dicat Christum Ie-  
sum fuisse dimensum, si bonum, si misericordem, si  
benignum, si omnipotentem, si Dei agnum, si ostium,  
si pastorem, si leonem, si vitem, si panem qui de cœlo  
descendit, si quidvis denique aliud eorum epitheto-  
rum illi vendicet per verbum **E s t** quæ inscriptura  
tribuuntur, nihil planè substantialitatis intelligi po-  
terit: & tamen verbi **E s t** significatio non quidē erit  
illa maximè omniū propria & prima, sed tamen sim-  
plex, genuina, usitata, familiaris & significantissima,  
quam nemo sanè mentis vocabit in dubium, etiam si  
sub-

stantialitatis opem haud imploret. Imò verò, ut proprius pedem conferam, dico verbum Esse semper significare, esse, & nunquam nisi valde impropriè fieri: sed propriam ejus explicationem sumendam ex natura & ratione attributis eū materiæ quæ attribuitur subiecto de quo agitur. Et ubi in Sacramentis dicitur de signo per verbum est id quod propriū

**L**ib. 1. est rei signatæ, omnino impropriam & alienā quæritur significationem in substantiarum inter se commigratio-  
**n**ne vel metamorphosi; cùm omnis explicatio-  
**C**hristiana in analogia signorum ad res signatas (quemadmodū  
**A**sp. 2. superiori meo scripto luculenter ostendi) posita sit.

„ Nam ut disertè monet Augustinus, quemadmodum „ in rebus cavendum est, ne quis in eis attendat nisi „ quod sunt, non etiam si quid aliud præter se signifi- „ cant, ita vicissim de signis videndum est ne quis in eis „ attendat quod sunt, sed potius quod signa sunt, id „ est quod significant. Signum est enim res præter spe- „ ciem quam ingerit sensibus aliud aliquid ex se faciēs „ in cogitationem venire &c.

Quod me in calce, quasi re confecta, ad Patrum doctrinam fide amplectādam invitā, demiror, cùm manifestè probaverim classicos omnes Patres nostrā sententiam iam ab initio nascentis Ecclesiæ stabilivisse. ad quæ tu mihi ne verbo quidem respondes, nisi quod quodam loco videris me ad nescio quas illorum rapsodias velle remittere, qui putidas sub nomine Clementis, Anacleti, Evaristi aliorumq; larvatorum Patrum nærias, ac ne patientissimi quidem lectoris auribus dignas farragines, unā cum detortis nescio quibus Patrū testimonijs confusaneè permiscent,

miserent, ijsque demū pro coronide Scholasticorum sophistica dogmata quasi ad populū phaleras adjungūt, quibus inutiliū nōnū centones suos farciāt.

Rationes etiam omnes quibus meam probavi sententiam intactas relinquis, & posteriori tuo scripto, quod tum eodem accepi tempore, pergis ad reliqua disputationis capita respondere. Et primo quidem capite ais, benedictionem aliquādo fieri sine verbis, aliquando cum verbis. Hic factam cum verbis. Ea, enim verba *Hoc est corpus meū* esse ipsam benedictionem, quam mutetur panis in corpus. In quo nō modō, cum innumeris Scholasticis, sed & cum Christi verbis, & ipse tecum etiam dissides. Ante enim asserui-  
sti, de jam benedictio pane ea dici, *Accipite & come-  
dite*: Hic ais nōdum esse benedictum nisi postquam ea verba sunt prolatā *Hoc est corpus meum*, & in ijs vis intelligi benedictionē: quam tamen uno ore omnes Euāngelistæ præcessisse asseverant. ita ut nulla jam sibi tuæ orationis pars constet. Quod certè in causa est, ut in verba Christi præceps impingas, eisq; veritatem detrahas, inquiens non posse vera esse respiciendo ad id quod præfuit, sed tantum ad id quod eis, verbis efficiebatur. ita ut tibi hæc oratio *Hoc est cor-  
pus meum*, nudè & simpliciter intellecta falsa sit: illa, autem quam Christus nunquam dixit, sed à vobis conficta est, duntaxat vera, *Hoc erit corpus meum*, vel, *Hoc fit aut efficitur meum corpus*. In quo certè video te magistros tuos præeuntes sequi, qui non minus blasphemè quam ineptè & perridiculè hoc verborum turpi cœno sententias suas asperserunt: Alij dicunt & melius, quod non demonstretur illud In glossa  
s. Hérit quod sacerdos tenet in manibus, quia mentiretur, de Vrbi

*matria d.* cùm non ibi nunc sit nisi panis : Sed demonstratur  
*S.c. 2 ad* corpus Christi ratione illius instantis in quo finitur  
*Si for-* illa oratio, & fit demonstratio ad intellectum &c. Ita  
*mäverò.* vobis ipsa Dei veritas Christus Iesus mendax est, nisi  
 ad fulciendam vestram ementitam transubstantia-  
 tionē patiatur vel significationē verbi EST in FIERI,  
 nova quadam transubstantiatione commigrare, vel  
 certè recantata sua oratione, qua omnes Euangeliste  
 illum testantur, panem quem acceperat, fregerat, ac  
 dederat, demonstrasse, novam vestram demonstra-  
 tionem quam vocatis ad intellectum introduci. Et tu  
 etiamnum audes gloriari trita te & publica via ince-  
 dere, neque quicquam obscurum aut involutum in  
 medium adferre.

Quod verò etiā in verbo *σύλογον*, ita subtiliter phi-  
 losopharis, ut novam illiatq; inauditam transub-  
 stantiandi vim affingas, à tanto mihi viro per quām  
 alienum videtur. cùm constet benedicendi verbum  
 idem esse quod laudare, gratias agere, ac beneprecari,  
 nihilq; habere commune cum substantiarum trans-  
 elemētatione. Nam illud exemplum quo ait, quem-  
 admodum Deus verbo illo *Crescite & multiplicamini*  
 dedit generandi facultatem: ita fecit ex pane corpus  
 ijs verbis *Hoc est corpus meum*: ita est remotum ab hac  
 loquendi ratione, ut responsione nulla indigeat. Iu-  
 bet enim ibi Deus creaturas crescere ac multiplicari:  
 Quod autem jubet, id vult etiam ut fiat. Hic verò  
 nullo verbo jubet panem fieri suum corpus, aut re-  
 lictis accidentibus evanescere ut corpori suo locum  
 faciat. Vestrum enim hoc est commentum, ad quod  
 tanquam ad lapidem Lydium Christi orationem ex-  
 penditis atq; explicatis. Quod autem Ambrosium  
 tanto-

tantoperè urges quasi ejus verba non possint ad sacramentalem referri representationem, propterea quod dicat desiisse esse panem, exemplo vocis quem non definit esse vox ex quo ad significandum fuerit instituta: Primū nusquam equidem teperio dixisse Ambrosium quod desierit esse panis : Sed dicit ante consecrationem fuisse panem : ubi autem verba accesserint, esse corpus. Quo quid aliud quam notatur illud vulgatissimum, Accedat verbum ad elementū, & fiet sacramentum. Ante quidem nudum erat elementum: nunc autem corporis est sacramentum, seu sacrum corporis signum. Ita aqua Baptismi ante consecrationem est aqua: post verò, ablutio peccatorū, vel indumentum Christi, vel sepultura in Christo. Ita calix benedictionis cui benedicimus, ante quidem erat vinum: post verò consecrationē seu benedictionem est novum fœdus seu novum testamentum in sanguine Christi, seu sanguis novi Testamenti, seu communio sanguinis Christi: Hæc enim esse prorsus eadē ipsa docent Euangelistarū atque Apostolorum oracula. Atq; ita etiam si adjecisset Ambrosius desiisse esse panem post consecrationem, (quod nunquam probabis) tamen nihil aliud ex eo evinceres nisi defuisse esse panem talis qualis fuit ante consecrationē seu panem elementarem, quemadmodū hostia ante oblationem est agnus fortè vel hircus: post consecrationem definit esse agnus & fit λύτρον sive propitiatio peccatorū. Definit enim esse quod ante fuit non substantia, sed usū atq; institutione, eò quod prioris substantiæ non major habetur ratio quam si non esset. In signis enim, ut ex Augustino ostendimus, non attenditur quod sunt, sed quod signa sunt, id est quod significant.

116 D. S A N C T A L D E G O N D I V S  
gnificant: & nihil est usitatus quam dicere ea non esse  
quorum nulla prorsus habetur ratio neque; aestimatio.  
Ita dicitur Melchisedech esse sine patre & sine matre:  
nimirum, quod ejus parentum nulla neque mentio  
neque; ratio habeatur. Ita vox Pauli etsi est aer seu spi-  
ritus est pulmonibus & gutture perductus, & deinde  
adminiculo linguae, dentium, & circumstantis aeris  
repercussione in syllabas erumpens: tamen ubi Dei  
fœdus in Christo crucifixo ea voce significatur, fi-  
deique auribus praesens statuitur, jam non est amplius  
aer (nec enim aeris ulla est estimatio) sed sacrosanctum  
ipsissimi Dei verbum, non quidem quod substantia  
designat esse quod ante fuit, sed quod in alium finem  
jam sit institutum. Neque ullum planè est sacramen-  
tum in quo haec ratio locum non habeat. Quae qui-  
dem nos haud à Calvinô accepimus ( q̄ tu invidiose  
nobis obijcis ) sed ab universa Scriptura & conser-  
tiente cum illa Patrum doctrina hausimus atque ar-  
ripiimus: cui ne ipse quidem Ambroſius, quem tu  
transubstantiationis patronū esse putas, refragatur.  
Quod ut intelligas, feriò ac diligenter totam illam  
Ambroſij in libro de iis qui initiantur mysterijs tra-  
stationem examinato. Videbis enim postquam splé-  
didis ac magnificis verbis sacramenti hujus dignita-  
tem extulit, ac veterum figuris & antiquius esse &  
multo praestantius ornata contentione, atq; exem-  
plorū in quibus per Dei verbum ac virtutem rerū na-  
ture immutatē prohibetur accumulatione cōproba-  
vit, tandem in epilogo, quorsum haec omnia referri  
debeant, disertè ac fine ulla verborum ambiguitate  
demonstrat. Quid hīc queris, inquiens, naturæ or-  
dinem in Christi corpore, cūm præter naturam sit  
ipse

ipse Dominus Iesus partus ex virgine? vera utique,,  
 caro Christi quæ crucifixa est, quæ sepulta est. verè,,  
 ergo carnis illius sacramētum est. Ipse clamat Domi-,,  
 nus Iesus *Hoc est corpus meum*. Ante benedictionem,,  
 verborū cælestium alia species nominatur: post con-,,  
 secrationem, corpus significatur. Ipse dicit sanguinē,,  
 suum. Ante consecrationem, aliud dicitur, post con-,,  
 secrationem sanguis nuncupatur &c. Vides nihil esse,,  
 quod vel mihi succenseas, vel Calvinī memoriæ pe-,,  
 tulanter insultes, quasi ejus commentum sit, signifi-  
 catione & nuncupatione sacramentali non tantum  
 apud Euangelistas, sed apud ipsos etiā Patres, panem  
 in corpus Christi commutari, repudiata commenti-  
 tia vestra transsubstantiatione. Quòd enim Patres  
 tantoperè hoc mysteriū admirantur, & supra omnia  
 veterum sacramenta infinitis efferunt præconijs, va-  
 rijsq; potentiae divinæ exemplis illustrant: id eò fit  
 quòd in hoc sacramento verè nobiscum atq; *huiusmodi*  
 communicatur atque unitur sacrosanctū illud ē vir-  
 gine natum, atque in cruce pro nobis oblatū Christi  
 corpus, ita ut verè fiamus nos (non panis ille elemē-  
 taris, sed nos qui Christū fide apprehendimus ejusq;  
 mortis ac beneficij memoriam hoc sacramēto reco-  
 limus) os ex ossibus ejus & caro ex carne ejus. qua  
 copulatione nihil potest fingi aut cogitari arctius,  
 nihil indissolubilius, nihil denique admirabilius. Ac  
 proinde non injuria piorum Patrum mentes in ad-  
 mirationem quasi quodam *inveniaturum* sustollit atque  
 abripit. Sed qui hoc beneficiū quod in nos & in suā  
 Christus ecclesiam confert ad panis vel substantiam  
 vel accidentia velit traducere, is profectō nō modo  
 stultitiam suam prodiderit, sed à mente ac doctrina

Patrum toto se cælo aberrare perspicuum fecerit. Ita  
 enim in undecimū caput prioris ad Corinthios idem  
 „ ille scribit Ambrosius : Sicut enim nos de uno pane  
 „ & de uno calice percipientes, participes & consortes  
 „ sumus corporis Domini, ita & qui edunt hostias par-  
 „ ticipes sunt altaris erroris. & in caput undecimum,  
 „ Quia enim morte Domini liberati sumus, huius rei  
 „ memores in edendo & potādo carnem & sanguinem  
 „ quæ pro nobis oblata sunt significamus, quod est  
 „ nova lex quæ obedientem sibi tradit cælestibus re-  
 „ gnis. Et mox, Testamentum ergo sanguine constitu-  
 „ tū est, quia divini beneficij sanguis testis est. In cuius  
 „ typum nos calicem mysticum sanguinis ad tuitionē  
 „ corporis & animæ nostræ percipimus : quia sanguis  
 „ Domini sanguinem nostrum redemit, id est totum  
 „ hominem salvum fecit. Quibus certè verbis nihil po-  
 test dici clarius, nihilque ad nostræ sententiæ atque  
 interpretationis firmamentū accōmodatius. Quare  
 & reliqua illa omnia quæ in libellis de sacramentis  
 proferentur, eodem ducimus esse referēda. Alioqui  
 si quid contra tam certam atque indubitatam veri-  
 tatem ex eis opponatur, nō verebimur cum doctissi-  
 mis nostri seculi viris eos libellos, quialioqui satis  
 per se rhapsodi nescio cujus stilum referūt, pro spu-  
 rijs & illegitimis, & cum Ambrosij sententia pugnā-  
 tibus libris repudiare, & ex ijs quę sine controversia  
 Ambrosio tribuuntur & Scripturæ sunt ubique cō-  
 sentanea de ipsius mente ac sensu judicare.

Dicis deinde, vocem non desinere esse vocem  
 quando ad significandum est instituta: quasi nos un-  
 quam statuerimus vel panem desinere esse panē, vel  
 vocem vocem, quum ad significandum adhibentur:

vel omnium significationū parem esse rationem posuerimus : & non libenter demus hanc prærogativā rebus sacris, ut posteaquām semel consecratae Deoq; mancipatæ sunt, nomē profanum prioris substancialē soleant amittere , & nomen dignius quod à significacione mutuantur retinere : ut est superius à nobis infinitis exemplis luculentissimè demonstratum.

Quod verò etiam festivè & joculariter videris in nos velle retorquere quod vobis ipsi impegimus : dum quæris quando, & quibus verbis panis fiat corpus Christi, representatione, an ante verborū prolationem, an post: in cassum profectō sudas. & cum tua ipse umbra digladiaris. Nec enim quum dicimus fieri corpus Christi representatione, ulla nobis mutatione aut metamorphosi opus est. Magicum enim & cabalisticum hoc est commentum qui verborum vi elementa putant consecrari . Tota enim illa actio, non certè aliquæ voces aut carmina efficiunt ut panis sit corpus Christi . quia nimur universa illa actione panis ad eum finem sanctificatus ( hoc est à communi pane separatus ) destinatur & usurpatur. Nos enim quoties in commemorationem mortis Christi sacramētū usurpamus & mortem Domini annuntiamus , ad tanti mysterij <sup>φεγγίδα</sup> seu symbolum, panis elementum adhibentes: toties & quidem ex eo ipso momento, dicimus hoc esse nobis Christi corpus representatione, usu, institutione & significacione. quod quidem fiat, non verborū seu carminis aliquo murmure, sed vi pmissionis divina quam fide amplectimur , ac proinde si definimus ad eum usum panem illum usurpare, jam quod illius substancialē reliquum est, exemplo vetustioris Ecclesiæ pau-

peribus destinatur, non ut sacramētū, sed ut panis ac cibus communis, quo famis molestia ab esuriente corpore depellatur; omnino quē madmodū dicimus aquam Baptismi non fieri sacramentum ulla viverborum ab homine prolatorum, sed Dei promittentis institutione & Ecclesiæ destinatione, quæ illius mandato obsequēs aquam ad significandū id quod promisit Dominus usurpat, & prēter illum usum nihil est nisi aqua communis. quē madmodū Iordanis olim fuit fluuius quo Christum ipsum baptizavit Ioannes. Vides omnia tua firmamenta, quibus videbaris paulo confidentiusculè gloriari, excusso tibi illo magicarum seu cabalisticarum præstigiarum in verbis vim profanam constituentium cassō scipione penitus elumbia corruere.

In 4. capite, ubi conaris explicare quomodo Christus corpus suum fregerit, multò etiam magis ac magis te tuis laqueis pergis irretire; ita ut perspicuum facias quod ab Aristotele olim usurpatum fuit

Primūm conaris te iterū obtegere nebula illa panis benedicti, quò minus persentiscatur à simplicioribus quanta sit illa tuæ sententiæ absurditas. Neque enim ~~απλος~~ fateris Christū fregisse suum corpus (esse enim omnium absurdissimum) sed hanc quam metuis absurditatem velas scilicet illa leniori explicatione panis benedicti, quam nobis nunquam desinis fastidiosè inculcare. Sed jam antè rogavi, ut hoc semel expedires, an panis benedictus sit Christi corpus nec ne? Si enim non est: fatere ingenuè, & veritati locum dato. Sin autem: noli posthac tu am sententiam ambiguis sermonibus obtenebrare.

Sed necdum visus tibi fuit hic fucus satis idoneus qui tam fœdas sententiæ labes obtegeret, nisi & alterum illevisses. Ita enim respōdes anfractuosè: Christus dicitur fregisse suum corpus , seu panem benedictum. Amabo te , quorsum attinebat hoc *dicitur?* an metuebas ne si apertè & categoricè dixisses, Christus fregit suum corpus , omnes viderent absurdissimè te loquutum esse? Et tamen necesse est ita loquare , si transubstantiationis sententiam tueri voles; cùm non modò omnes uno ore Euangelistæ testentur Christum fregisse , quod tu asseveras fuisse ipsissimum ejus corpus: sed Paulus ipse testetur idem ipsum quotidie à nobis frangi.Id viderunt olim tui illi hujusc transubstantiationis architecti in concilio Lateranensi. Itaque pro oraculo docuerunt, ipsissimum Christi corpus non modò edi à nobis in sacramento , sed revera & sensualiter frangi manibus , & dentibus atteri. Ita blasphemia trudit blasphemiam, ut clavus clavum.

Tu tamen abhorrens fortasse à tam impio carcinomate, non quidem ais fregisse Christum, sed tantum dici fregisse suum corpus seu panem benedictū (quasi quod verè dicitur non etiam verè atque efficienter existat) & addis rationem, quia sic fregit sacramētum quo corpus suum tegebatur, ut licet corpus integrum & incorruptum permaneret , tamen non ab uno tantum , sed à pluribus sub sacramento sumeretur. Hic jam vide rursus quām fœdè impingas, etenim de allijs interroganti de cœpis quod aiūt respondisti . Quæsivi enim , an Christus corpus ipse suum fregerit & quomodo? Tu respondes , dici fregisse quia sumatur ejus corpus à pluribus licet ma-

neat incorruptum . Neque planè ais fractum fuisse corpus neque negas . Quo certè perspicuum facere videris cavillandi studium.

Sed videbas te hīc teneri , neque ullum patēre es- fugium.Omninò enim aut confitendum erat, ipsum Christi corpus fregisse suum corpus , aut certè falsa esse Spiritus sancti oracula, aut denique evertendam omnem transubstantiationis doctrinam . Itaq; no- luisti sententiam tuam à nobis intelligi.In quo certè secutus es vestræ theologiae magistros Scholasticos, qui etsi peracuti ac solertes homines , mirum tamen dictu est quām se in hoc nodo explicando anxiè ac solicite torserint , & varijs propositis ventilatisque

*Hec* sententijs tandem multò quām antè arctiori nervo  
<sup>ad ver</sup> sese irretierint . Ita enim hanc quæstionem agitant  
<sup>bū de-</sup> in Sententiarum seu potius Romanę fidei oraculorū  
<sup>scripta</sup> libro: Solet etiam quæri de fractione & partitione  
<sup>sunt</sup> ex lib. quæ ibi videtur fieri, utrum vera sit: & si ibi vera fra-  
<sup>Sen-</sup> ctio est, cujus rei sit, vel in qua re fiat . Cumq; non  
<sup>zētia-</sup> sit ibi alia substantia quām Christi , si in aliqua sub-  
<sup>rū</sup> <sup>1.</sup> stantia est illa fractio, in corpore Christi videtur esse.  
<sup>12. cap</sup> Sed è contrà , cùm ipsum corpus incorruptibile sit,  
<sup>2.</sup> quia immortale & impassibile, in ipso non posse esse  
<sup>„</sup> videtur &c. Ideò quibusdam placet quod non sit ibi  
<sup>„</sup> fractio sicut videtur , sed dicitur frangi quia videtur  
<sup>„</sup> frangi &c. Hanc tu sententiam verbo tenus videri  
<sup>„</sup> posses hīc secutus fuisse, nisi è vestigio aliud arripiēs,  
<sup>„</sup> multò altius pedem cœno immersisses: quod certè &  
<sup>„</sup> illis ipsis usuvenit. Ita enim disputationem persequi-  
<sup>„</sup> tur Lombardus: Quibus obijcitur quod ait Ambro-  
<sup>„</sup> sius , nihil falsi putandū est in sacrificio veritatis , vel  
<sup>„</sup> sicut sit in magorum præstigijs , ubi delusione qua-  
<sup>dam</sup>

dam falluntur oculi, ut videant esse quod nō est &c. Sed hīc mirū est eos oculorū præstigiast antoperē  
aversari, cūm in transsubstantiatione non oculos  
tantū, sed manus, linguam, palatum, & deniq; ven-  
triculum ipsum meris præstigijs confidenter delu-  
dant. Tertiam deinde opinionem ventilant his ver-  
bis, Alij dicunt quòd sicut ibi species panis est & nō  
est ibi res cuius vel in qua sit illa species: ita est ibi  
fractio quæ non fit in aliqua re, quia nihil ibi fran-  
gitur. Quod mirabiliter Dei potentia fieri dicunt,  
ut ibi fiat fractio ubi nihil frangitur. Vide quām pro-  
tervē ad suas nārias stabiendas Dei potentia abu-  
tantur. Sed neque hoc illis arridet. Itaque aliud ef-  
fugium parant, & ajunt: Alij tradūt corpus Christi  
essentialiter frangi & dividi, & tamen integrum &  
incorruptibile existere: quod se colligere afferunt  
ex confessione Berengarij qui confessus est coram  
Nicolao Papa & pluribus episcopis, Panem & vinum  
quæ in altari ponuntur, post consecrationem non  
solum sacramenta, sed etiam verum corpus & sangu-  
nem Christi esse, & sensualiter non solum sub sacra-  
mento, sed in veritate manibus sacerdotum tractari  
& frangi, & fidelium dentibus atteri, &c. Hæc sanè  
sententia et si contradicentes pugnantésque inter se  
enuntiationes simul veras esse profiteretur ( quod  
certè Magistris nostris minimè est insolens, qui pro  
sua autoritate ejusmodi flagitia omnipotentię velo  
ad populum tegunt:) tamen erat cum transsubstan-  
tiationis dogmate omnium maximè consentanea, &  
concilij Lateranensis pontificisque Nicolai decreto  
roborata: & nihil tamē minus à délicato Magistro  
rum nostrorum palato, quasi minus sapida, repudiari-

tur. Aliam enim quam ajunt esse probabiliorē tandem obtrudunt pro oraculo, quam & tibi video am-  
 „ plissime D. Cancellari placuisse. Sed quia corpus  
 „ Christi *ajunt* incorruptibile est, sanè dici potest fra-  
 „ ctio illa & partitio non in substantia corporis, sed in  
 „ ipsa forma panis sacramentaliter fieri: ut vera fractio  
 „ & partitio sit ibi, quæ fit non in substantia corporis  
 „ sed in sacramento, id est in specie &c. Quæ quidem  
 mihi videntur cum ista tua responsione ad amussim  
 consentire: Nam etsi prima fronte verba insipienti  
 videri possis ipsam fractionem in viso potius quām  
 rei veritate ponere: tamen posteā ais fregisse sacra-  
 mentum quo corpus suum tegebatur. Sed cedō, vir  
 amplissime, quod tandem istud est sacramentū? Nec  
 enim potes ignorare vos vestramq; Ecclesiam Ro-

*Hæc sumta sunt ex lib. sentent. g. dist. 3. & cap. 6. ibi glossa. Hæc si- mili- studio usur- patur à Pa- normi tano quem* manam duo h[ic] sacramenta statuisse. Tria enim om-  
 ninò vultis esse distinguenda: Vnum, quod est sacra-  
 mentum tantùm, ut species visibles vinum & panis:  
 aliud, quod est sacramentum & res; ut caro Christi  
 vera & sanguis verus: tertium, quod est res & non sa-  
 cramentum; ut corpus Christi mysticum. & primum  
 quidem hederæ pro capona suspensæ comparatis:  
 alterum, ipsi cauponæ: tertium, vino cella clauso si-  
 mile esse dicitis. Ac proinde debueras certè explic-  
 are utrum ex his duobus sacramentum fregisset Chri-  
 stus: illud ne quod tantùm significat, nimirum ac-  
 cidentia panis & vini; an verò suum ipissimum cor-  
 pus quod vultis & rem simul esse & sacramentum?  
 Sed hæc omnia ex composito præteriisti, ne in sœ-  
 diissimo humani commenti cœno nimis altè pedem  
 fixisse deprehendereris. Quod si tamen Romanæ ec-  
 clesiæ dogma sequi voles, utiq; necesse est ut omisso

vero Christi corpore (quod tamen præcipuum esse <sup>dein</sup>  
 sacramentum semper inculcatis) ad nuda, inania & <sup>de ro-</sup>  
 planè commentitia te panis accidentia convertas. Et <sup>liqui</sup>  
 sanè hoc ipso intuitu videris hæc verba adjecisse <sup>sequi-</sup>  
<sup>Satur.</sup> *cramentum quo corpus suum regebatur*: innuens videli-,,  
 cet, verum Christi corpus quod sub panis forma &  
 accidentibus nudis tectū delitescat nequaquam frāgi,  
 sed tantum ejus tegumentum sive involucrum: ac-  
 cidentia nimirum & substantia vacuam formam. Ve-  
 rū enim verò vir doctissime, cùm omnes uno ore  
 Apostoli atq; Euangelistæ Christum testentur sum-  
 misse, fregisse ac dedisse panem, (quo certè nomine  
 una cum accidentibus & forma substantiam etiam  
 ipsam vel maximè comprehendine vos quidem po-  
 nitis in controversia,) déque eo dixisse *Hoc esse suum*  
*corpus*: Cùm Paulus etiam post consecrationem ubi-  
 que asseveret Panem esse quem frangimus, cui bene-  
 dicimus, quem denique vel dignè vel indignè man-  
 ducamus, & ex panis natura atque analogia uberrima-  
 mam & cum primis salutarem de unione corporis  
 Christi cum ecclesia, ejusdemq; membrorum inter-  
 se nexu indissolubili doctrinam elicitat; de forma  
 verò seu accidentibus substantia nudatis ne iota qui-  
 dem universa Scripturæ sacræ pagina contineat: quo-  
 tandē præeunte Dei verbo, aut quo suggestente spi-  
 ritu didicistis ipsum panem neque frangi neq; om-  
 nino esse Christi corporis vel sacramentum vel sym-  
 bolum, sed illo prorsus evanescente commentitiam  
 hanc vestram umbram atque inanem panis formam  
 pro sacramento quæ sola frangatur succedere? cùm  
 nemo sanæ mentis homo non videat planè nullam  
 esse nudis hisce rerum & commentitijs atque inani-  
 bus

bus accidentibus cum vero ac vitali efficienterque  
 vegetante Christi corpore analogiam , nullam simi-  
 litudinem, nullam comparationem: & jam in scholis  
 „ vestris ex Augustino vel pueris ipsis tritum sit, Si sa-  
 „ cramenta nullam habeant similitudinem earum rerum  
 „ quarum sunt sacramenta , omnino sacramenta non  
 „ esse: propter illam enim similitudinem , & ipsarum  
 saepe rerum nomina accipere . Quænam igitur vos  
 vel vis vel ratio vel fortuitus denique casus impulit,  
 ut spreto abjectoque pane qui vim illam vitalem ac  
 salutarem carnis Christi significantissimè nobis po-  
 nit ob oculos , quemadmodum post Apostolum  
 Paulum omnes uno ore testantur vetustioris eccle-  
 siae Patres , & proinde vicissim suum nomen cum  
 Christo communicat , qui se hoc intuitu panem e  
 cælo delapsum appellavit , ut nimirum quam ab illo  
 accipimus vitam ac nutritionem disertè exprimeret:  
 in ejus locum inane nescio quod vestri cerebri com-  
 mentum & cassum simulacrum substitueretis? præser-  
 tim cum jam omnium Apostolorum testimonio li-  
 queat veram panis fractionis verba etiam illa quibus  
 transsubstantiationis omne dogma fulcitur præces-  
 sis , ac proinde haud potuisse Christum nuda panis  
 accidentia frangere , cum vel nobis authoribus antè  
 illorum verborum prolationem substantia necdum  
 evanuerit : Ita ut quocunque tandem vos vertatis  
 utique fiat perspicuum vos à Christi & exemplo &  
 doctrina quam longissimè recessisse . Alioqui obse-  
 ero te vir præclare cedò tandem ex quibusnam fon-  
 tibus vel rivulis hauserint vestræ hujus præstigiosæ  
 theologie antistites, præcipuum in hoc jus & singu-  
 larem prærogativam accepisse nuda hæc vestra ac-  
 cidentia

eidentia, ut hoc Christi corpus invisibile atque impalpabile nullaque corporea circumscrip<sup>tum</sup> ut volunt dimensione, non & quæ possit sub vero, naturali & vitali pane, atque sub cassis & inanibus accidentibus occultatum delitescere? An verebantur ne forte non se posset eosque porriger<sup>e</sup> divina omnipotentia, ut unà cum pane simul ipsum Christi corpus disparatas nimirum substancialias uno eodemque loco unoq; momento presens sisteret? Haud equidem arbitror. Quos n. nihil movebant innumerabilia alia miraculorum portenta quibus pro libidine cōfictis ad sustentandam mirificā illam suam transsubstatiatio-  
nis machinam nihil dubitarunt omnipotentiæ velū quasi quoddam suorum somniorum tegumentum perpetuò & sine ulla frōte confidētissimè obtēdere; eosdem vix est verisimile ut disparatarū inter se substantiarū nova coagmētatio seu coalitio cōturbanter. An forte existimarunt Christi majestate dignius visideri, ut cassis accidentibus quam ut vera panis substa-  
ntia corpus ejus velaretur? Ne id quidem. Eſſet enim nimis ridiculum. Quid ergo est? Obſfirmarant ſcilicet animum ſemel in eam ſententiam ut æternū Dei filium atq; adeò Deum ipsum Christum Iesum unicum humani generis Servatorem non ſursum in celis (quemadmodum & ipſe voluit & Apostoli do-  
cuerunt) ſed hīc deorsum in terris querendum, adorandum, amplectendumq; proponerent. eundemq;  
ſacrificorum ſuorum verbis quasi Iovem eliciū evocari, manibus porrigi, & instar Perfici numinis circumgeſtari, litatione denique in peccatorū remiſionem & vivorum defunctorumque ſalutem Deo patri tanquam ſalutarē victimam offerri. Hoc enim erat,

erat unicum illis & faciendi quæstus compendium,  
 & subiectorum sibi conscientiarum artificium, si  
 crederet vulgus in illorū esse arbitrio ac potestate,  
**Chr̄istum ipsum** quoties liberet in terris præsentem  
 sistere, & salutis humanæ mysterium quibus essent  
 benevolentiores dispensare. Ad eam rem acripuerūt  
 hæc sacramenti verba, quibus panem esse suum cor-  
 pus testatur; eademque non pro ratione sacramen-  
 torum & signorum in quibus nihil nisi quod signa  
 sunt, id est quod significant attenditur; sed ad literā,

*Lib. 1.* & ut loquitur Augustinus, serviliter voluerunt in-  
*de doct.* telligi. & quæ Christus in sui jamjam morituri seseq;  
*Chris.* in cruce oblatri & post in cælum ascensi memoriā  
*esp. 1.* fieri jubet, hæc illi ad eum ex cælo in terras evocan-  
 dum & de integro novo quodam *iactu* sacrificio  
 immoladum, contra genuinam atq; usitatam omniū  
 verborum significationem traduxerunt. Atque in-  
 deporrò ut novo sacrificio novum adderent mira-  
 culum, & ita suæ dignitatis existimationem ac rever-  
 entiam in hominum animis nova religione cumu-  
 larent; putaverunt populo esse persuadendū, haud  
 ullum amplius restare panem, sed habere se in mani-  
 bus & ipsis dentibus premere Deoque offerre ipsi-  
 sum illud quod in cruce pependit corpus. quod  
 quidem omnipotentiæ divinæ obteto velo rudium  
 oculos obtundentes, finixerunt non esse quale olim  
 fuit, visibile nimirum & palpabile, sed mirifica qua-  
 dam & portentosa ac inter se pugnante machinatio-  
 ne, esse hic quidem penitus invisibile, neq; omnino  
 vel sensui obnoxium vel dimensionis corporeæ ca-  
 pax: in cælo autem idem illud & videri & palpari &  
 omnium sensuum perceptioni obnoxium existere,  
*necque*

neq; tamen vel h̄ic vel illic corporea sua dimensione ac finibus circumscribi, sed per omnes sacrificorum arās quocunq; velit sine ulla circumscriptio[n]is meta se porrige[re]. Huic autem portentosę metamorphosi vehementer obstabat quod videbant nemini, nisi planè cæco & v̄cordi, posse persuaderi omnem illam pristinam panis formam, figuram, colorem, saporem & reliqua quæ vocantur naturalia panis accidentia penitus interijsse: quippe cùm ea omnium oculis manifestè cernerentur, manibus continguntur, & totis denique sensibus haurirentur. Hæc illi accidentia Christi corpori tribuere nequaquam sunt ausi. Fuisset enim è vestigio deprehensa impostura; cùm nemo nesciat verum Christi corpus neq; rotundum esse, neque farinaceum, nec deniq; panis forma & accidentibus vestitū. Itaq; commenti sunt, panis quidem substantiam atque adeo ipsum panem ad verba consecrationis diffluere ac penitus evanescere atque interire, eīque verè Christi corpus ipsius simū succedere, atq; illud unum à sacrificis, manibus teneri, dentibus premi, & sacrificio immolari, populoque adorandum exhiberi. Sed tamen quia nō possunt falli oculi vel reliqui omnes sensus, ideo in aëre <sup>Gab.</sup> vel nescio ubi tandem pendula hærere panis accidentia. Ita enim scribunt disertis verbis, quod accidentia <sup>Biel.</sup> <sup>queſt. I.</sup> <sup>disind.</sup> sensibilia quæ fuerunt in pane, eadem numero manent post consecrationem, ut patet per experientiā,,, quia eadem apparent post consecrationem quæ antè,,, & sensus circa objectum proprium nō decipiuntur,,, & licet multa ibi sint quæ non apparent, scilicet corpus Christi & sanguis cum accidentibus proprijs: ea,, tamen quæ apparent tanquam propria objecta sensus,

„ sus qualitates scilicet sensibiles, exdem quæ fuerunt  
 „ ante consecrationē ibi sunt, &c. Ex quibus certè me-  
 „ ridiana luce clarius fit universam hanc transubstan-  
 „ tiationis molem nullo planè fidei aut verbi Dei fun-  
 „ damento, sed solo sensuum externorum judicio atq;  
 „ experientia subnixam consistere. Et quidem in eo  
 „ ipso judicio pro imperio illos quod arrideat ample-  
 „ cit: quod minus palato sapiat, anathemate ferire &  
 „ funesto theta inurere. Cæteroqui cùm plerq; post  
 „ consecrationem omnes omnino substantię propri-  
 „ tates, ipsaque essentialis forma quæ dat esse rei, tum  
 „ reipsa tum numero eadem permaneat quæ fuit ante  
 „ consecrationem, neq; quicquam immutetur (quod  
 „ & certissima patet experientia, & sensuum omnium  
 „ indubitate iudicio comprobatur) nihil erat causæ  
 „ cur substantia ejecta, cassa & nuda accidentia rudis  
 „ plebeculæ sensibus largirentur. Quod n. aiunt sub-  
 „ stantiam non æquè esse proprium sensuum objectū  
 „ atque sint accidentia, versuram profecto faciunt, &  
 „ in eodem semper luto hærent. Non enim quisquam  
 „ non insanissimis unquam dabit, accidentia quæ nulli  
 „ inhæreant substantiæ esse propria sensuum objecta.  
 „ Quod enim omnino sensibus percipiuntur id eò fit  
 „ quia substantiæ inhærent. quod si ademeris, jam nō  
 „ modò sensibus objici non poterunt, sed planè nihil  
 „ erunt. Ecquis enim unquam vel oculis vedit vel fan-  
 „ do audivit, colorem si à substantia colorata divella-  
 „ tur oculis cerni posse? vel rotunditatem sensu percipi  
 „ quæ nulli rei rotundæ seu orbiculari inhæreat? Ac-  
 „ cidentium certè omnium una hæc est definitio atq;  
 „ ipsum &c. quod rebus per se existentibus id est  
 „ substantijs accidentia atque inhærent. Eo autem sub-  
 „ latto

lato ne accidentia quidem esse possunt, utpote quæ nulli accidunt, nedum ut sensuum proprium objectum dici debeant: cùm nullus certè sensus abstracterum qualitatum imo verò earum quæ nusquam sunt capax possit intelligi. Et tamē quando sensuum trutinam certamque ac propriam perceptionem in solis accidentibus voluerunt collocari, debuerant certè meminisse ipsum Christi corpus suapte natura dimensum atque aspectabile suisque naturalibus & proprijs vestitum accidentibus, quale fuit in cruce, hic unā cum panis accidentibus ab eis statui, & quidem sensibus omnino non comprehendendi, quos tamē unos atque irrefragabiles testes in corporis sui veritate exploranda Thomam Apostolum Christus ipse jussit adhibere. Fallentur ergo vobis sensus in ipso Christi verissimo ut vultis corpore ejusque forma atque omnibus accidentibus & proprietatibus substantiæ suæ naturaliter ac verè inharentibus, quæ sunt proprium sensuum objectum: & in fictis atque commentitijs & à substâlia sua divulgatis accidentibus quæ neque sensus ullus neque ratio ipsa aut intelligentia queat percipere falli non poterūt? Hoc certè jam nō est loqui, sed sortitò ac temerè arripere quod effutiatis, quódque stupenti ad tanta miraculorum portenta plebi pro inani fico obtrudatis. Et nō dubitatis tamen, inania hæc & monstruosa humani cerebri commēta, quæ neque Dei verbo, neq; ulla vel vera vel probabili ratione potestis tueri, non modò ferro & igni quasi aras vestras ac focos propugnare, sed multo etiam absurdioribus & à scripturarū veritate atque analogia fidei longè remotioribus dogmatum portentis cumulare. Tu enim hic ut præcla-

ram hanc ex Magistrorum vestrorum cerebro prognata minervam in fidei arce possis collocare , non dubitas quasi ex tripode pro oraculo absurdissimā hāc similitudinem adiucere: Si Dominus gloriæ , ratione humanitatis in qualèdi potuit , rectè crucifixus esse dicitur: quid mirum si Christi corpus ratione formæ panis sub qua cōtinetur etiam frangi dicatur? Quid? an potes esse nescius quod idiomata naturis duabus inter se communicentur, quemadmodum locuta est omnis theologorum antiquitas, id fieri duntaxat ratione unionis hypostaticæ qua Deitas humanitati personaliter ita conjuncta est , ut ex duabus naturis diversissimis una tantum exsistat persona? Tūne igitur huic evanidæ panis formæ seu accidentibus ejusmodi aliquam unionem cum Christi corpore audebis tribuere, cujus ratione atque intuitu quod panis formæ usuveniat , idem Christi corpori sub ea latitanti usuvenire non impiè dici possit? At quo tandem verbo , aut quónam Euangeliſta vel Apostolo teste id comprobabis ? cùm nemo sit sanæ mentis homo qui tam crassam atq; impiam blasphemiam toto pectori non averſetur? Et tamen aut hoc tibi statuendum est, aut confitendum non modò elumbem atq; inanem, sed impiam esse hāc tuam ratiocinationem: aut certè ex verbo Dei demonstrandum quali tandem unione, aut quo genere copulationis, Christi corpus cum panis accidentibus esse connexum intelligatur. Id autem quomodo possis demonstrare non video, cùm in universa Scriptura ne minimo quidem apice horū vestrorum accidentium vel tantula mentio injiciatur. Et tamen si dederimus sublatæ panis substantiæ subire accidentia , necdum quicquam effe-

ceris. Nam si non jungitur hæc accidētia cū Christi corpore unione hypostatica, restabit ut conjungantur vel ea quæ est essentialis ac naturalis, vel ea quæ dicitur sacramentalis. Naturalem scio te nunquam esse admissurum: neque enim posses tueri. Restat igitur sacramentali cōjunctione hæc constet coagmentatio. Quod si ita est, inanis certè est hæc tua ratiocinatio, quæ tribuatur unioni hypostaticæ idiomatum communicatio, eandem posse sacramentali eodemque iure tribui: ac proinde Christi corpus frangi rectè dici, propterea quod panis forma seu panis frangantur accidentia, quemadmodum Dominus gloriæ dicitur crucifigi, propterea quod illa natura quæ crucifigitur cum divina Domini gloriæ natura ita arctè est unita, ut idem sit crucifixus atq; idem gloriæ Dominus. Nam planè è diverso efficietur, quum hīc nulla alia nisi sacramētalis unio possit intelligi, haud aliter accipiendum esse quod Christi corpus hīc è cālo sub panis forma sistatur, nisi pro ratione & perpetua norma sacramentorum, id est, quemadmodum in reliquis omnibus sacramētis & sacris signis res signatæ sистi solent. Hīc tu tam imensa absurditatum voragine obrutus, tamē audes quasi prætor aliquis ferre sententiam. Quod qui ad credendum tardi sunt facile tergiversationes quærunt quas Christi verbis opponant, sicut opposuit Zacharias dicens, Vnde hoc sciam? Quasi verò quæ vestri Scholastici ac Pontifices contra Scripturarum fidem, contra omnem Sacramētorum rationem atq; analogiam, contra denique articulorum fidei confessionem absurdissima finixerunt dogmatum portenta, nobis continuò fide sint amplectenda, quia

vos ita esse dicitis: quum ipsi tamē à vobis nō minus  
q̄ ab Euangelicorū oraculorum veritate dissideatis.

Ad quintum caput quia satis antè responsum est,  
nihil repetam: tantum addam, Deū omnia posse effi-  
cere quæ velit & quacunque velit ratione: sed planē  
non cogitur ad sancienda vestra miraculorum com-  
mētiorum plaustra, divinam suam vim atq; poten-  
tiā quoties vobis adlibuerit exercere. Illa n. nihil  
agit n̄ iſi quod vult, neque ad sophistarum libidinem  
vel rerum à se conditarū naturam evertit, vel semel  
sancitā veritatem labefactat: sed quæ facit miracula,  
ea facit ita efficienter ut sub sensus veritatis testes ca-  
dant & nihil cum magorū præstigijs commune ha-  
beat: eademq; verbo suo & spiritu eatenus facit ma-  
nifesta quoad ex usu Ecclesiæ esse novit. Quod autē  
verbo Est miracula fabricari posse cōtendis, nihil est  
aliud nisi ad questionis caput questionē ipsam revo-  
care, & petēdo (ut dialectici loquuntur) principio nō  
modo actū agere, sed ferula se dignū præbere. Quæ-  
ritur n. an Deus verbo Est id fieri voluerit quod est  
in cōtroversia. Tu ut ostēdas voluisse, dicas eum si ve-  
lit posse mediāte verbo Est efficere quæ velit: quæ  
quidē argumentādi ratio omni responsione indigna  
est. In sexto capite fidem tuam mi D. Doctor iterū  
vehementer desidero. Reprehendis quod dixerim,  
verbī Est unam & simplicem esse significationē, ut  
semper significet ESSE, sed nō semper significet ESSE  
SVBSTANTIAM, sed alijs etiam summis tribui vocibus.  
„ Hæc tu verba aī non tantū inter se, sed etiam cum  
„ mea ratiocinatione pugnare. Inter se quidem, quia  
„ ubi est analogia, non est una & simplex significatio:  
„ sed verbum EST analogicē refertur ad decem voces:

Ergo

Ergo non est ejus simplex significatio &c. Sanè si,, simpliciter dixissem esse unam , simplicem & perpetuam verbi E s t significationem , haberet fortasse quod suggillares: Sed quum certam subjunxerim interpretationem, ut nimis significet semper Esse, sed non semper Esse Substantiam : ecce facies fidē te h̄ic bonam fidem præstisſe? Quum n. dico Esse semper significare Esse, tum dico verbi E s t significationem in se quidem esse unicam, sed respectu rerum cui tribuatur esse analogicam. Hoc si non esset, jam necessariò esset una ex decem vocibus. Sed quia omnibus decem vocibus perquam̄ accommodatur, quamvis diversa ratione : ideo esse supra illas omnes voces preclarè est à Logicis definitum. Itaque quām tu ipse h̄ic turpiter impingas vide, qui cōtendas verbi E s t significationem semper significare substantialitatem . Ita erit τὸ δὲ unum ex decem vocibus & quidem erit substantia. Nihil enim nisi meram significabit substantiam.

Quod quidem si discipulorum tuorum quisquam dixisset, ferula certè dignum judicares. Et tamē pa- lò post etiam impingis turpius, dum significationem sacramentalem ab omnibus decem vocibus planè separas. Et ais significationē verbi Est non tantū ex eo multiplicem inveniri quia decē vocibus accommodetur : Sed etiam quod aliquando significet ali- quid esse simpliciter, aliquando non simpliciter sed significativē & sacramentaliter: quasi verò hēc signifi- catio sacramentalis non manifestè ad relationis ca- tegoriam sit referēda. Nam si κατηγορίας quippiam de altero dicitur, quacunq; tandem ratione respectuq; ei tribuatur. omnino necesse est ad harum decē vocū

unam referatur. In quo tu vidēris in vocem analogię impegiſſe, quam pro ēquivocatione seu amphibologię ſumſisti, & πολύσημα cum ἀνανύμοις seu ēquivocis confudiſſe. Etenim verbū **Eſt** per ſe quidē πολύσημον eſt, & cuicunq; tandem categoriæ accommodetur, ſignificat **Eſt**: ſed cum alijs comparatum, tum demum equivocē, ſeu ut tu loqueris, analogicē dicitur, & non ſimplicer. Ita cùm dicimus, Hominem pictum eſſe hominem, verbum quidem conjungens has voces ſignificat ſimplicer eſſe, non autem eſſe ſubſtantialiter, ſed tantūm per ſimilitudinem, ſeu ratione περὶ. Et tamen ēquè propriè dicitur imago eſſe id quod refert ratione ſimilitudinis, ac ratione ſubſtantiae dicitur homo eſſe homo. Sed ſi rationem ſimilitudinis cum ſubſtantia conſeras: tum demum hujus comparationis intuitu alterum dicetur, ſimplicer: alterum ſecundum quid & non ſimplicer. In quo demiror tantopere hospitem te videri, qui apud tuos nihil audias videoſque frequentius. Nullus enim eſt vicus, nullus angiportus qui nō ha-beat aliquod εἴδωλον ſeu ſimulacrum, de quo nemo eſt veſtrum qui dubitet dicere, hæc eſt Maria, hic eſt Christophorus, hic eſt Christus crucifixus, & infinita ejusmodi: ſed de modo interrogati, continuo reſpondetis, ad memoriam ſeu ſimilitudinem earum rerum quas ſignificant ita dici. Et interim non audi-tis Christum ipsum ſeſe explicantem, dum jubet ut in ſui ſuēve crucis memoriam non ſimulacra aurea ſaxeāve erigantur, ſed panis ac vini ſymbolum in ſa-croſancta cœna usurpetur.

Tandem venis ad meū argumentū, in quo me ait  
aſſumere axioma Philosophiæ naturali & scripturæ  
factæ

sacræ prorsus ignotum. Quod an ita se habeat, ex superioribus quæ à me scripta sunt, ne saepius repetita fastidium pariant, lectori æstimandum relinquo.

Postremò, quasi persentiscens veris te nihil rationib⁹ efficere, ad cavillos plusquam sophisticos cōfugis. Ais meis exemplis quæ produxi non quidem verbū **Eſt** sumi tropicè seu sacramentaliter ac figuratè, sed ipsum attributum, corpus scilicet aut sanguinem. quod quidē etſi nobis quasi quendā Aiacis clypeum iteratō obijcis, quām sit tamen puerile ac penitus elumbe tu quæſo ipſe iudex esto. Ego si de simulacro quopiam vestro dixerō, Hoc est S. Franciscus vel Dominicus, & interrogatus an substantia-liter ita sit, vel ut ipsius Augustini exemplo utar, si dixerō, Hic dies est dies resurrectionis seu paschatis. respondero, verbum **ESSE** ibi ( quemadmodū idem loquitur August.) positū esse in signo vel significatione: Si quis me hic suggillet quasi tropus nō sit in verbo **Eſt**, sed in attributo: nimirū Frācisco & Dominico vel Paschatis die, ut dicam verba mea sic debere intelligi hoc est verè Frācīs. vel hęc dies verè est Pascha: id est Francisci imago, vel Paschatis rememoratio : quis ejusmodi hominem cum tam putida sophistica nō putet esse procul explodendū? Sive enim dicas hęc verba, Petra erat Christus, innuere quod Petra significabat vel repræsentabat, vel figurabat, vel sacramentaliter notabat Christū, (ut tropus sit in verbo **E R A T:**) sive ponas tropum in attributo, & dicas tantundem exprimere, ac petra erat significatio, vel signū, vel repræsentatio vel figura, vel Sacramentum Christi : quis est ita cæcus qui non videat hęc penitus eodem recidere? Et tamen videmini nescio

138 D. S A N C T A L D E G O N D I V S  
quomodo vobis in ejusmodi cavillis delitosos triūphos facere, & quidem usq; adeo ut nonnulli libros quos de nostrorum dissentionibus inscripsérunt, nō dubitarint ejusmodi puerilibus nēnijs infarcire: quibus rudi plebeculae persuaderent Zwingliū: Oecolampadiū: Carolo stadium: Calvinū & nescio quos alios inter se digladiari, propterea quod alij in his verbis *Hoc est corpus meum*, tropum in verbo Est, alij in attributo corporis posuerunt. Quæ quidem nimium impudens calumnia quum in nemine ferenda planè sit (nec enim est quisquam ita cœcus qui nesciat ne tantillum quidem hæc inter se significationis veritate discrepare) tum certè vel maximè in vobis qui scholasticæ vestræ theologiæ rivos propè ex Aristotelis fontibus deduxistis, prorsus est intolerāda, quū disertis verbis praeuntem habeatis vestrūm Aristotelem, aperteq; in metaphysicis ita docentem: οὐ αὐτὸν εἴτε λέγεται, δύσπατερ σημαίνει τὰ σχήματα τῆς κατηγορίας. δύσπατος γάρ λέγεται, τοσαντάκως τὸ ἔνα τὸ σημαίνει id est, Per se autem dicuntur esse ea quæcunq; in categoriæ figuris significatione continentur. Nam quotcunque tandem modis dicuntur, totidem planè significant Esse. Ex quibus certè non debebatis ignorare in omni enuntiatione verbum Est adhiberi ad significandum eam quæ est inter extremas utrasque voces inter se conjunctionem copulationemque: & quidē pro ratione ac natura ipsarū vocū quæ inter se copulantur. Itaq; quemadmodum ἡδὲ διαφέγει τὸ ἀνθρώπος ὑγαίνει εἰν, ἢ τὸ ἄνθρωπος ὑγαίνει, teste Aristotele: ita planè nihil interest utrum dicas, panis est signū corporis, posito nimirū tropo in voce attributi corporis: an potius, panis significat vel signat, vel repræsentat ipsissimum corpus.

corpus Christi; posito eodē in verbo Est quod adhibetur ad copulandum attributum cum subiecto. Certissimum enim est quod idem ait Aristoteles : ὅτι τῶν καὶ ἀ μηδεμίασι συμπλοκὴν λεγομένην ἔκποντα ἄ το μὲν καθεύτῳ ἐν οὐδεμίᾳ σκαταφάσσει λέγεται ἀ ποφάσσει, τὴν δὲ πρὸς ἄλληλας τύτων συμπλοκὴν καταφάσσεις η απόφασσις γένεται, περὶ γάρ συνθέσεων καὶ διατάξεων ἐστὶ τὸ ψεῦδος καὶ τὸ ἀληθές. i. quod nihil eorum que conjuncta nō sunt, in affirmatione aut negatione dicitur: sed ex eorum mutua quadam inter se conjunctione omnis manat vel affirmatio vel negatio. Nam circa conjunctionē aut sejunctionem verū & falsum omne versatur. Quod quidem cùm in omnibus omnino categorijs quæ per se esse dicuntur sit extra cōtroversiā ὅτι εἴκασθε τύτων τὸ ἀντίτοιχον τοῦ αὐτοῦ συντάτινον, i. propter ea quòd eorum unicuique Esse id ipsum significat, tum certè vel facillimè potest in analogicis & sacramentalibus loquēdi rationibus quæ in signo posite sunt & per similitudinem explicātur intelligi. Quòd ipse tu facile potuisses perspicere, si disertissima te Augustini verba superiori à nobis epistola ex libro ejus contra Adamantiū Manichēū producta nō pugnisset examinare, vel certè judicem ipsum ac dictatorem Christū docili aure controversiā hāc omnem suis verbis deidentem auscultare. Vno enim loco ait, hoc est sanguis novi testamenti: & altero, ne disputaretur ubi esset tropus, in verbo ne, an in attributo; sic locutus est, & se explanavit: Hoc poculū est novū Testamentum in meo sanguine. Quod si velimus in verbū resolvere, idem valebit atque, Hoc poculū testatur, vel testamēto ac fœdere sancit meū sanguinē pro vobis effusum esse in remissionem peccatorum vestrorū. Vides vir doctissime, sive tropum in verbo Est cōstituas, sive in voce subiecto attributa: id est sive dicas

dicas poculum esse sanguinem vel sanguinis fædus  
ac testamentum: vel denique sanguinem testamento  
sancire: prorsus idem te dicere: vel certè necesse esse  
ut Euangelistas ipsos mendaces ac tropistas seu hæ-  
reticos & sacramentarios esse convincas: qui manife-  
sta Christi verba de sanguine per tropum explicarūt,  
& quid de ijs quæ de pane dixerat esset sentiendum  
apertissimè commonstrarunt. Apagesis igitur cum  
istis frivolis effugij & verborum inanibus ampullis,  
& cùm se Christus dicit esse vitæ , agnum &c . tu si  
libet explica per tropum in attributo : ego etiam si  
dixero unam esse & perpetuam verbi Esse explica-  
tionem, ut semper Esse significet : tamen non du-  
bitabo ita exponere quasi dicat se esse similem non  
agno, viti, aut ostio tropico ( quemadmodum vos  
apud ignaram & stupidam plebem nos singitis sta-  
tuere nescio quod corpus Christi tropicum seu figu-  
ratum atque commentitium, ) Sed, vero ostio, vero  
ac naturali agno, veræ denique viti: Sed dicā verbum  
substantiū Esse hīc non substantiam, sed simili-  
tudinem notare. ut cùm de bardo homine dicitur,  
eum esse asinum, caudicem, stipitem: quod nimirum  
ingenij tarditate ~~ανάλογον~~ quiddam ijs referat. Ex quo  
ampliss. Cancellari facile cernis necesse esse ut cor-  
ruat invictus ille tuus aries quo nostrum perpetuum  
atque indubitatum axioma sperabas te posse cōvel-  
lere. Ais enim quod in Scripturis sacris nullum ex-  
stet exemplum quo nomen aliquod Christi substan-  
tiam sive divinam sive humanam propriè significas,  
à sua propria significatione translatum elemēto aut  
inanimatæ substantiæ tribuatur, ad significādam ali-  
quam ejus proprietatem. Nam etiamli esset hoc om-  
nium

nium verissimum quod minimè est : quid quæsto tamen efficeres, nisi quòd nobis gladiū in manus porrigeres quo in tuum jugulum contorto tibi omnino pereundū esset? Eādem enim argumentandi ratione valeret & hoc axioma, Nullū posse produci ex Scriptura exemplum quo Christi corporis & sanguinis nomen, mutis ac brutis creaturis tributum transsubstantiationem invehat. Ac proinde nullā esse rationē cur & in ijs verbis quibus instituuntur sacramenta quæ sunt σφραγίδες signa & typi & ad memoriā & annuntiandum Christi mortem instituta , tale quippiā præter omnē rationē atq; exemplū confingi debeat.

Sed audi Augustinū exemplis quibus hoc tuum axioma jugulatur & Christi nomen mutis elementis tribuitur utentē, cuius authoritati pro tua modestia sat scio non voles refragari. Is verba illa Pauli , Petra erat Christus, prorsus eadē ratione exponit, ut Christi nomen tum divinam tum humanam substantiam significans tribuatur petræ , ad significandum signū seu sacramētum quod in illa petra Dominus populo proposuerat . Et illud ipsum exemplū ad hanc ipsam rem de qua agimus ita accommodat, ut doceat propter similitudinem & analogiam quam habent inter se signa & res signatæ, unius nomen alteri tribui. Sed hæc tu omnia à nobis toties inculcata , tamen surda aure prætereunda tibi putasti. Deinde, quoties obsecro arca fœderis nominatur ipse Iehova exercituū ? Quid? an non Ierusalem nominatur Iehovah Iustitia nostra. Ecquem autem nosti Iehovam qui sit Iustitia nostra, præter unū Christum? De columba an nō dicitur, suisse Spir.sanctū ? Et tamē nemo est ita omnis sensus ac rationis expers qui propterea spiritū ipsum

à Patre & Filio Christo procedentē in columbā fuisse transsubstantiatum, vel è diverso columbam in Spīritū somniet. Sunt enim hæc temulentorū seu potius furiosorum hominum insomnia quæ mēs ægritudine & præjudicatæ opinionis errore occupata, per visum *particulari* sibi reddit verisimilia.

Pergis deinde ad refutationem nostrorum argumentorum. In quo pleraq;, & quibus urgeris vehementissimè, silentio præteris, & ad Synodi Nicenæ decretum pedem refers, atque ais neminem esse qui nesciat, Panem hunc benedictum esse Christi mortis sacramentum. Vnde etiam mandatum est à Domino *Hoc facite in meam commemorationem*: ut & offerentes hostiam salutarem & participates elevata mente per fidem, perpetuò in eam formam intenti sint quam Christi corpus habuit. Sed non propterea sequi, corpus istud in sacramento non cōtineri: Aliā enim formam considerandam esse, ut perpetuò habeatur passionis & resurrectionis memoria, sed non aliā substantiam quam in sacramēto ipso cōtineatur.

Hic tu mihi videris, quod tanti viri pace dixerim, quasi alto quodā & supino veterno consopitus, omnium eorum quæ ante dixisti penitus esse oblitus. Nam ne concilij Niceniauthoritatem cogaris elevere, simulas te nostræ sententiæ propè ad amissim stipulari. Ais enim panem hunc benedictum esse sacramentum Christi moriētis. In quo certè si tibi cōstares, & superiora omnia quæ de transsubstantiatione enixus es stabilire, evertes, & cum veritatis doctrina pulchrè cōsentires. Sed cōtinuò pedē retrahis —— veluti qui sentibus anguem Pressit humi nitens, trepidusq;ue repente refugit.

& variè tecum ipse pugnas. ut facile appareat quum dixisti neminem nescire quin panis hic benedictus sit Christi morientis sacramentum, longè sensisse aliud quam verba præ se ferant: & voluisse te hæc item effuso illo obscuro & ambiguo panis benedicti verbo, quasi sepiæ quodam atramento involvere. metuēs videlicet ne ut sorex quod aiunt tuo ipse indicio prehensus tenerere, si planè ac sine ambagibus vel panem vel Christi corpus nominasses. Quid enim est obscurum panis iste tuus benedictus quem tu nobis usque ad nauseam toties ingeris? & Christi morientis sacramentum esse pronuncias? panis nè? At nullus vobis restat panis. An corpus Christi quod pani successit? At nō ignoras Sacramēti definitionē esse, ut sit sacræ rei signum. Atqui jā corpus Christi est ipsa res facta: Nō potest igitur sui ipsius esse signū. præsertim quum non sit visibile. Quā certè notam Augustinus & reliqui oēs Patres in sacramentis animadverterūt. Adijs proptereā mādatū esse à Domino, ut hoc faciant in sui cōmemorationē. In quo nisi tutem tibi oculos rācidis magistrorū tuorū collyrijs cblevisses, facile cerneres te hic universam transsubstantiationē jugulasse: nihilque nos ab orthodoxa fide aberrare, qui doceamus hoc sacramētu benedicti panis & calicis in ejus mortis memoriā ac sacrū signū esse institutū. Sed evertis è vestigio quem dixisti, & jubes ut offerentes hostiā salutarē intenti sint, nō in eām formā quam vident, sed in illam quam habuit dum viveret & in terris conversaretur: Quo quid potest esse absurdius? Nam si est illa vestra hostia verissimū atque ipsissimum Christi corpus, quemadmodum soletis etiam ignibus & gladijs efferatē contendere: quid

est necesse in aliā formā intentos esse vestros sacrificos? Quasi verò ea forma quę Christo ipsi placuit nō etiā vobis placere debeat: aut quasi Romanę Ecclesię Scholastici Christo prescribere debeant, qua ille no bis forma sit adorandus. Sed quid quod & in Romanam Ecclesiam es contumeliosus? Illa n. dum se corpus Christi capsula condere arbitratur, dū se illud per fercula & pōpas tū flaminales tum funerales circumgestare credit, & nō modò incēsis facibus, thure, campanis ac libaminibus colit, sed etiam quotidie in missa universo populo tanquā Deū ipsum rerū omniū cōditorem ac vitę fontem adorandū proponit: tantum certè abest ut ad aliam aliquā formā populū revocet, ut qui coram hac ipsa forma vel vitrea etiam capsula inclusa non ad genua actutum provolvātur, eos confessim ignibus atq; extremis cruciatibus addicant. Tu tamen illa forma neglecta aliā vis cōsiderari, ut possit haberi ejus passionis & resurrectionis memoria. Vides n. pro tuo ingenij acumine, Christū neq; passum fuisse unquā, neq; resurrexisse in forma panis. Ac proinde ut ejus memoriam tibi proponas, aliā omnino formam esse animo ac mētis oculis obiectiendam. In quo fortè non planè abs re lignei vobis & faxei vestri crucifixi, atque alia simulacra seu *εἴδη λαβα* ac de orū formae ex usu erūt. Sed vide quām ini quę agas. Christus ut nobis vim atque efficaciam salutarem ac vivificam sacro sancti sui corporis & sanguinis à virgine matre accepti & in cælū postea sublati præ oculis mentis ac memorie statueret, putavit nullū se posse magis propriū atq; accommodatum, nullumq; significantius signū, sacramentū aut mne mos synon proponere quām panē & vinū: ut nimirū

illis sumptis ejus mortis perennem memoriam retine-  
remus: Vos quasi Christum Dei filium sapientia lōgē  
antecellatis, primū abjicitis panis substātiā, & nuda  
relinquitis accidentia quę mirabili verborū fuso for-  
mā nominatis, cūm nullius formati formam esse posse  
ipſi suaviter in scholis vestris disputetis. Mox nō con-  
tentī tanta contumelia Christi affecisse institutionem,  
etiam formam ipsam eripitis, & ad aliam formā vultis  
animi nostri atq; oculorū aciem esse intentam. Et in-  
terea ne ullum insaniæ vestigium relinquatis intactū,  
unam illam ac simplicem corporis esse substātiā pu-  
gnatis. Necessum igitur est Christi corporis unam &  
eandem substātiā diversas habere formas. Vnam ni-  
mirum quam sumpsit à matre virgine: alteram, quam  
à pistore seu fornacario mutuatam vestri sacrifici so-  
lemni carminis præstigio corpus ejus effecerunt. Ita  
una ejus forma erit in cælis, altera in terris: una vera  
ejusque omnibus proprietatibus atque accidentibus  
vestita quam secum post mortem abiens abstulit, eā-  
demque se denuò ad judicium venturum dixit: altera  
imaginaria sine ulla aspectibili figura ullisque sensui  
objectis accidentibus, missatica nimirum quæ neque  
in pane sit neque in corpore neque pendeat in aëre,  
neq; in manibus sacrifici hæreat, nec in stomachū de-  
labatur: sed sit quod nō est, & nō sit quod est: quod-  
que malesanū Scholasticorū cerebrum extra Dei ver-  
bū somniavit, & stolido mundo p miraculo obtrusit.

In octavo capite varijs uteris involucris, ut ostēdas  
caput Ioannis 6. ad sacramentalem manductionem  
minimè pertinere. Quod si luberet cōtradicere, haud  
me deficerent veterum Patrū testimonia. Sed lubens  
acquiesco, modò & tu fateāre q̄ Christus cap. Ioan. 6.

promittit id ipsum præstare in cruce , idemque ipsum ante crucē significatissimē in cœnē sacramēto ad sem-  
piternam sui recordationem instituere . Itaq; non est  
alia manducatio Christi corporis proposita Ioan. cap.  
6.alia in cœna, nisi quatenus ad sacramentum attinet.  
Christus enim Ioan.6. testatur se esse verum illū panē  
qui de cælo descendit & mundo vitam largitur, nō n.  
vi carnis, sed Spiritus divini carnē vivificantis, & quasi  
quodam organo seu tubo utentis, per quem fidei ap-  
prehendenteris virtute vitā & justitiam in nos transfun-  
dit. Frustra itaq; desudas quum hīc elabi te posse spe-  
ras objecta lectori diversæ manducationis nebula  
Omninō n. quemadmodū Ioan.3. Christus dum dicit  
homini esse renascendum qui vitam velit ingredi : nō  
quidē instituit Baptismum , sed illud ipsum planè de-  
clarat quod Baptismo nobis tanquam certa atque in-  
dubitata tessera & ὁραγὴ ob signatur exhibeturq;. Ita  
dum docet sese in hunc mūdum venisse ut vitā mūdc  
præstet & credētibus justitiam, per veram illam ac mi-  
rificam sui corporis nobiscum unionem, longè profe-  
ctò arctiore in quām sit illa panis aut vini cum corpo-  
ris substantia & carne coalitio : non instituit quidē  
ille cœnæ sacramentum , sed verum ejus effectum ac  
finē declarat. Et sanè in cœna nihil consequimur aliud  
vel Paulo teste, & te etiā astipulatore, nisi ut in Christi  
corpus & sanguinem ad vitæ & ternæ participationem  
uniamur & coalescamus. Quare quod hīc identidem  
nos traducis, quasi cœnē Sacramētum nudū & inanē  
signū esse doceamus, neque illum habere effectū ni  
ut significet: bona si tua cum venia licet dicere, mei  
calumnia est ; nisi tu inane signū audes fortasse appelle-  
lare, cum quo & per quod tanquam per intermed.

arrabonē ac sigillum Deus ipse animis nostris præsens statuit Christi corpus, ex eoque nobis verè atque es-  
sentialiter, justitiam, sanctitatem, vitam æternam, &  
denique omnia quæ in Christo accipere possumus  
dona affatim & luculentissimè largitur. Sed sunt jam-  
pridem hæ calumniæ ab alijs plus satis cōfutatæ, quo-  
rum lectionem si vos liberam populo permitteretis  
(quemadmodum nos vestrorū libroru & commen-  
tariorum liberam mercem etiam myropolis & tonso-  
ribus relinquimus) haud ægrè sanè hominum menti-  
bus diffusa humanorum commentorum caligine, Dei  
veritatis lux affulgeret. Quæ reliqua sunt in hoc ca-  
pite, sunt omnia ejusdem farinæ. Tu quidem tibi de-  
licias facis in argutula illa distinctione: quòd scilicet  
tropus sit non in verbo **EST**, sed in ipso attributo: eo-  
demque Pauli sententiam conaris revocare. Sed quām  
hoc sit inane, jam antè satis demonstratum est. Et ta-  
men tu ipse tuo hīc laqueo prehenderis. Fateris enim,  
his Pauli verbis Panis quem frangimus est communi-  
catio sive communio corporis Christi, noluisse Pau-  
lum significare quid esset Panis, sed quid participatio-  
ne illius panis significaretur atque efficeretur (etsi in  
postrema tua Epistola quasi teneri te tuis pedicis sen-  
tiens, illud verbum significādi expunxisti) quamobrē  
quæso te vir optime quum hīc de verborum Christi  
interpretatione sit controversia, & nemo planè dubi-  
tet quin eorūdem fidissimus fucrit interpres Paulus,  
præsertim eandem materiam pertractans: præsta hīc  
nobis bonā fidem, præsta animum modestum ac do-  
ciles aures: & quemadmodum tu tibi tribuis posse te  
verba Pauli prout cōmodissimè licet interpretari: ita  
nobis ipsissimā hanc tuam interpretationē patere ad

ea ipsa verba quorum sententiam Paulus ad amissim  
 explicavit accommodare, & cōtinuò senties omni pe-  
 nitus nebula discussa, nihil amplius superesse quod ve-  
 ritatem possit obscurare: neque opus esse ullis vel am-  
 bagibus vel cavillis, vel varijs verbi Est distinctioni-  
 bus, ut quod est per se planissimum verborum invo-  
 lucris obtegatur. Similitudo porro illa tua qua ex  
 Ioan. cap. 6. in medium producta conaris Pauli testi-  
 monium, panis nomen Sacramento manifestè atque  
 identidē tribuētis, eludere: propterea quod se Chri-  
 stus ipse panem appelleat, propè mihi etiam risum ex-  
 cussit, quem vix te certè ipsum in scribendo tenuisse  
 arbitror. Nimis est enim venusta & lepida illius tuæ  
 „ ratiocinationis complexio, dum scribis: Si Christus &  
 „ caro ejus, panis seu cibus verissimè dicitur quia dat vi-  
 „ tam mundo: quare non potest simili tropo etiam pa-  
 „ nis benedictus & in corpus Christi conversus panis  
 „ nuncupari? Taceo, quod hīc per te potes animadver-  
 tere, innumerabilem vos passim troporum catervam  
 in vestri de transsubstantiatione commentisuppetias  
 advocare, ut scilicet positam in signo & sacramento  
 Christi orationem à Spiritus efficiētia & fidei ratione  
 ad dentes ac ventrem avertatis. Prætereo etiam cram-  
 ben illam tuam toties cum nausea repetitam de pane  
 benedicto. Sed quis quæso non videt, quæ tu similia  
 esse autumas; ea plusquam toto inter se cēlo discrepa-  
 re. cūm nemo non stultissimus ullam fibi amphibolo-  
 logiam in illa Christi assertione, quæ se panem esse te-  
 statur vel imaginatione possit cōfingere. Tota n. ora-  
 tio eō spectat ut cēlestē vitā ex se uno Christus ma-  
 nare asleveret: ac proinde ait se esse panem qui de cēlo  
 descendit. Deinde oēs videbant Christi vivum ac na-  
 turale

turale corpus neq; tum esse , neque antè unquā fuisse panem: Hic verò in eo quod panis fuerit, quod panē esse oēs sensus judicent, natura doceat, ortus convin-  
cat, forma testetur: color, figura, gustus, omnes deniq;  
circumstantię atque omnia planè accidentia manifestè  
prodant, Verbum ipsum divinum & à Spiritu sancto  
dictatū oraculū iteratò ac sēpius inculcet, Velle tamē  
emendicato aliquo tropo quod paulò antè proprium  
fuerit ejus nomē ad peregrinam significationem con-  
torquere , abutētis est profectò & auditoris patientia  
& verbi Dei dignitate . Patrum testimonia quæ pro-  
duxī ne verbo quidem confutas , Conscius es n. ipse  
tibi inimis esse plana , diserta atq; perspicua quām quæ  
verbis eludi queant. Ad nescio quem Lanfrancum, &  
Guitmundū, & Algerum me remittis. His adiçis Io-  
annem Hesselium Lovaniensem. Quasi verò mihi cum  
Hesselio , & non cum Michaeli Baio hæc sit palæstra.  
Deinde dicis ex ipsis Patribus alias & quidem plures  
ac manifestiores colligi posse sententias quibus vestra  
opinio constabiliatur. Quod si ita est, necesse est mul-  
tum esse vel in Patrum delectu discriminis, vel in ipsis  
eorum scriptis ambiguitatis : & tamen ea ipsa debue-  
ras producere ut ad veritatis trutinam expenderētur.

In extrema Epistolæ parte graviter me & pro magi-  
striauthoritate reprehendis quasi dixerim , horrendā  
Gothorum vastationē Christi Ecclesiam corrupisse.  
Vnde tu in campū Philosophiæ de Ecclesiæ afflictio-  
nibus orationem vocas : ut quasi Theologiæ magister  
ostendas, afflictiones non corrumpere sed repurgare  
Ecclesiam. In quo certè primū præfas malam fidem,  
& manifestam impingis calumniā : deinde turpiter &  
Sophisticè cavillaris : postremò tota rei veritate aber-

ras. Quod ut intelligas recole hæc mea verba. Ego ita  
scripsi. Postea verò quām horrida illa Gothoru-va-  
statio Ecclesiæ justo Dei judicio pro virtute libidinē,  
pro justitia tyrannidem , pro pietate superstitionē in-  
vexerat, sub Nicolai tēpora &c. Quæ quām sint à tuis  
diversa, judicet æquus Lector: & an te calumniæ reū  
immeritò agam ex æquo & bono seu potius ex re pre-  
senti statuat. Observa deinde cavillū plusquam sophi-  
sticum. Quod si dixisse Ecclesiā corruptam esse Go-  
thorum vastatione, nemo me existimasset de alia locu-  
tum esse Ecclesia nisi de aspectibili ac visibili , quam  
nimirū Christus pisciū sagenæ & areæ tritici dicit esse  
similem & proinde improbis æquè ac probis confer-  
tam. Eam si dixerim persecutione imminui & appemo-  
dum totam perdi atq; interire: quid aliud dixerim nisi  
quod ipsa universa testatur apud Isaiam Ecclesia: Nisi  
Dominus reliquisset nobis semen, omnes sicut Sodo-  
ma fuissimus, & sicut Gomorrha perissimus. Est igitur  
cavillus impudens, ita ludificari lectorem vocabu-  
lorum ambiguitate . Sed vide quām bonus sis Theo-  
logus, qui te illius sacrosanctæ doctrinæ antistitē pro-  
fitearis . Quæreris ex qua Scriptura sacra aliquando di-  
dicerim Christi Ecclesiā persecutionibus esse cor-  
ruptam . At pleni sunt omnes propè omniū Prophe-  
tarum libri, pleni Apostolorum atque Euangelistarū  
infinitis harum rerum exemplis. Quid n. aliud pertra-  
ctat Isaias, quid Ieremias, quid Ezechiel, quid Daniel,  
quid Ozeas, quid Ioël, quid Psalmorū liber, quid de-  
nique omnes reliqui? nisi quod propter hominū pec-  
cata ira Dei accensa , miras & horrendas strages in Dei  
populo quotidiè edat, Ecclesiæ suæ sepem diruat, se-  
minarium evellat, stolones extirpet , vitem suibus &  
apris

apris laniandam & cuivis obvio diripiendam tradat. Hęc si Domine Doctor tu ignoras, quod in Scholasticoꝝ argutis quotlibetis ætatem potius quam in Scripturā simplici veritate pro academiæ vestræ more triveris : est quod te ipsius Domini verbis remittam cum Iudaica synagoga ad locum Siloh . Vide quid ibi egerit Dominus exercituum; quomodo Ecclesiā suam hostiū persecutionibus dissiparit, sanctissimi fœderis symbolum Iudibrijs incircuncisorum exposuerit: remittam te ad Bethel quod Bethauen factū est: ad Gehinnom, quod in Gehennam commutatū est: rogabo ut ipsam vias Ierosolymam ac mōtem Sionis , de quo dictū erat . Hic est locus meæ requietis in æternū &c. Et si hęc tibi non satisfaciunt, rogabo ut mihi florentissimas illas Asiæ, Græciæ, Aegypti, & Africæ Ecclesiæ commōstres , quis illas ita vastarit atque everterit edoceas. Vbi sedes illa Antiochena , quam Petro per vigintiquinq; annos vestri tribuunt fabulatores : ubi Roma illa antiqua qua alios xxv. annos illum sedisse comminiscuntur? An non vides urbiū ruinas, hominum excidia, gentium ac populorum interneciones? Quasi verò quod in Silo, quod in Ierusalem , quod in Grècia, quod in Asia, quod in Aegypto, Africa; quod denique in universo terrarū orbe pro sua iustitia fecit Dominus exercituum , non etiam in Romana vestra Ecclesia audeat experiri: quę nullam certè habet ejusmodi promissionem : Hęc est requies mea in seculū., Si filij eorū peccarint mandatorū meorum obliti &c., misericordiam tamē meam ab eis nō auferam. Et sanè, à veritatis doctrina longè etiam si nō fœdiūs, at certè multò protervius & petulantius sese sciens volens quę avertit quam unquam fecerit Ecclesia Iudaica quippe  
qua

quæ nunquā ausa fuerit statuere Deū in terris in cuius  
gremio reconditū esset universi juris & divini, & hu-  
mani scriniū, qui cōcilijs authoritatem daret, decreta  
scisceret, fidei articulos fabricaret de verbo ac manda-  
tis Dei pro arbitrio dispēsaret: hominū animas Christi  
sanguine redemptas in infernū catervatim ducēs à ne-  
mine posset reprehendi. ut qui judex esset omnium, à  
nemine planè judicādus: Dominus mundi, Regū rex  
& Dominus dominantium. Hæc non est necesse tibi  
certe ut probē. Agnoscis n. vestræ Ecclesiæ Romanæ  
catholicam & universalem doctrinā, agnoscis ipsissima  
verba & decreta, quibus olim in principum ac regum  
omniumq; populorū aures intonuistis, oculos fulmi-  
nastis, animas attonitas reddidistis. Et quia vos jam si  
qui estis paulò verecundiores, tam horrendarū blas-  
phemiarū pudet, vultis emēdicati Petri velo Romanæ  
meretricis cuius nomē est Hebraicē Geddon Harma,  
seu ut græco more legitur harma Geddon, id est exci-  
sio Romæ, vele excisio altæ urbis, spurcissima oppro-  
bria obtegere: & quod neque ratione neque scriptu-  
rarum testimoniis evincere potestis, id ferro, flamma,  
cruce, eculeis ac violenta manu extorquere. Sed adest  
jam brevi tempus quo vestrum hoc probrū universo  
terrarum orbi patefiat, quo ipsi reges qui meretricem  
hanc splendidam ac purpuratam stupidè adorāt, ejus  
carnes frustatim sint incisuri ac devoraturi. Ac proin-  
de si tu mi D. Bay, cuius aliquando conscientiam me-  
lioribus fuisse imbutam quam hodie præteferas satis-  
scio, iram Dei nō reformidat: sine quæso nos ad ejus  
vocem ac mandatum ex Babylone maturè fugere: ne  
abominationum ejus & simul condignorum sup-  
pliciorum fiamus participes.

F I N I S.

MICHAELIS BAI I  
IN SACR. THEOLOG. REGII  
PROFESSORIS, CANCELLARII ET  
*Conservatoris Privilegiorum Universitatis Lovaniensis,*  
*APOLOGIÆ, pro responsione ad questiones*  
*PHILIPPI MARNIXII,*  
*de Sacramento Altaris,*  
DEFENSIO.





## ELENCHVS CAPITVM DEFENSIONIS APOLOGIÆ.

**Q** VOD responsio ad Apologiam, multa parerga continet.  
C A P U T I .

Quod Apologia fuit fraterna correptio, non convitij criminatio.  
C A P . II .

Quod terrere subditos ut emendentur, non sit tyrannicum, sed aequi juris imperium.  
C A P . III .

Quod ad quætiones plures, plures dandæ sunt responsiones.  
C A P . I V .

Quod alia sit intentio per propositionem significata, alia finalis, quæ priori frequenter adjicitur.  
C A P . V .

Quod obregere finalē sui sermonis intentionem non sit mendacium.  
C A P . VI .

Quod licet Deus faciat quod dicit, attamen id non debet de iis propositionibus intelligi, quantum res signifcatæ prius extiterunt, quam in scripturis sacris dicentur.  
C A P . VII .

Quod Christus non dicatur metaphorice Agnus Paschalis, aut Petra in Oreb percussa, sed quia per eas res sacramentaliter significatur.  
C A P . VIII .

Quod in hac oratione: hoc est corpus meum, pronomen (hoc) nec metaphorice sumatur, nec demonstraret rem, quæ corpus Christi prius sacramentaliter significabat.  
C A P . IX .

Quod Christus prætendatur vocibus & tactu non fecisse miracula, ad hoc videtur referri, ne ipsius sacramentis, vis aliqua operandi tribuatur,  
C A P . X .

Quod hæc Christi enunciatio: hoc est corpus meum, semper vera fuit, etiamsi Christi corpus, non nisi ultimo ejus momento, ibi esse cœperit.  
C A P . XI .

**Quod responsio de transsubstantiatione ad testimonia, filius tuus vivit, & mulier ecce filius tuus, sit omnino extra causam.**

C A P V T . x i i .

**Quod hac oratione, Petra erat Christus, nulla efficitur transmutatio, quia tantum significatur quod ante fuit, quam hæc oratio pronunciaretur.** C A P . x i i i .

**Quod præsentia Christi in sacramento altaris, quam populus Christianus semper intellexit secundum corpus & sanguinem, versutè transferatur ad prælentiū secundum divinitatem.**

C A P . x i i i i .

**Quod sensus præstigium non patiuntur, quando substantia in substantiam insensibiliter transmutatur.** C A P . x v .

**Quod locus Apostoli : Bibeant de consequente eos petra, à D. Augustino rectè accipiatur de Iudaicis, spiritualiter utentibus sacramentis illius temporis.** C A P . x v i .

**Quod petra de qua Apostolus ait, Petra erat Christus, prius Christi sacramentum fuitquam hoc diceretur: non autē panis, priusquam à Christo in manus acciperetur.** C A P . x v i i .

**Quod confidentia non semper sit argumentum veritatis, sed aliquid præsumptionis & impudentiæ.** C A P . x v i i i .

**Quod licet Deus plura contulerit Ecclesiæ Christianæ quam Iudicæ, attamen præfecti in utraque rectè dij vocantur.**

C A P . x i x .

DEFENSIO APOLOGIAE,  
PRO RESPOND. AD QVAE-  
fiones de Sacramento Alex. sis.

Quod responsio ad Apologiam, multa  
*παρεπήσα* continet.

CAPUT PRIMVM.

**L**E CTO nuper Catalogo, seu indiculo librorum, qui nundinis Franckfordiensibus circa Septembr. anni 82. venales expositi fuerunt, mi Sanct. Aldegonde, comperite Antuerpio edidisse responsionem ad Apologiam, quam pro responsionibus ad quæstiones tuas de sacramento altaris, anno 1581. Lovanijs emiseram, cuius responsionis exemplar cum die & frustra ex Colonia expectasse (neque enim alia expeditiori via, cessantibus iam dudum propter bellorum dissidia inter nos & Antwerpenses consuetis commerciis, acquiri posse existimabam) tandem post multum circuitum. 10. Martij anni 83. ad me ex Antuerpia perlatum est. Hanc igitur responsionem tuam percurrente, reperi multis longissimis parergis ad rem nihil pertinentibus suffultam: ut videlicet partim omisis, partim obiter duntaxat commemo ratis, plerisq; iisq; præcipuis nostræ disputationis capitibus, parum ad rem dicendo, aliquid dixisse, & libello meo respondisse videreris. Quorsum enim alioqui pertinebat, tam multa commemorare, & quæsitis verborum campis, tam mordaci & odiosa oratione, per multas paginas refellere, que à concilio Lateranensi, a D. Thoma Aquinate, à Cajetano, aliisq; doctoribus scholasticis de transubstantiatione quoquo modo dicta pretendis? Cùm ego neque concili-

um Lateranense commemoraverim, sciens modestiam tuā conciliorū autoritate non detineri, neq; testimonium ullū produxerim ex doctoribus scholasticis, q. os tu tanta loquacitate refellere, & in contemptū adducere conaris. Eodem spectare videretur sequens disputatio, in qua scriptura sacrae veritatem, quæ de Christo ait, quod accepit panem, & benedixit frē, it, deatq; discipulus suis, & ait: Accipite & comedite, hoc est, corpus meū, obnubilare conaris, voluēdo te in philosophica questionis obcuritate, quæ in Categorīs Arystotelis solet inquiri, quid sit per se & immediate divisibile; substantiæ corporeæ, quæ acciūtib; oib; subjicitur, an magnitudo, seu quantitas continua quæ in illa excipitur. Nec ab hac intentione dissentit ea narratio, quæ per multas paginas persuadere niteris Romanam ecclesiam humanis & superstitionibus Deum colere; vestram autem societatem, non nisi ex Dei verbi prescripto: Et tamen quasi verbum Dei non sit quod Christus cūdam adolescenticonjulens dixit: Vade; vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me. & alibi: Sunt eunuchi qui seipso castraverunt propter regnum cælorum. Qui potest capere capiat. A vobis tam insana & a cultu Dei aliena, reputantur Christi consilia, ut si quis cōmūnē fidelium infirmitatē, eminentiore virtute supergressus ea complexus fuerit, & in his, jejuniis et orationibus, nocte & die Deū colere decreuerit, ut ejus præcepta purius & sinceriū impleat, nō prius ad vestram societatem recipiatur, q; per apostasiam, universorū Christi consiliorū observationē abjecterit. Vnde etiam sectæ vestræ protector & Coriphæus Princeps Auriacus, non alia ratione melius se, vestræ cōspirationi probari posse putavit, ut manus vestræ cū corobarentur q; si imitaretur Abjionem, patrē juum fœdantem ut quemadmodum ille consule

*lente Achitophel ingressus est ad concubinas patris sui, corā  
universo Israēl, sic etiam ipse Auriacus, vivente adhuc ux-  
ore propria, spectante orbe, sub nomine conjugij (te authore  
ut multi autumant) sociarit sibi Christi sponsam consilia  
Euangelica professam, tantū ut hac ratione vestra societas,  
qua illa extreme odit, & contemni ac violari gaudet, illi ar-  
ctius copularetur. Sed nunc adea redeo, qua ordine in tua  
responsione continentur.*

*Quod Apologia fuerit fraterna correptio,  
non convitij criminatio.*

## C A P. II.

*D*icis me postremum meum libellum inscripsisse, Apolo-  
gia, cùm sit atrox & convitij plena criminatio: nec ta-  
men ullū convitiū profers à me in illo libello positū, de quo  
me accusandum putes. Dico igitur me mihi consciū non esse,  
quod illum in te convitium dixerim. Sed foris convitiū in-  
pretaris, quod tibi duo crimina objecerim, alterum quod pa-  
lam sequaris datum Calvini dogma, de Christi corpore  
in sacramento altaris, alterū quod in eorum communione  
permaneas, qui se palam in edictis publicis profitetur & no-  
minant desertores Romanae Catholicæ religionis: quod no-  
men a nulla hactenus secta, quod sciam a sumptum est. Ad  
quod posterius ne verbum quidem respondisti. Sed hac mea  
objectione non est convitiū, sicut videri vis vocans eam crimi-  
nationem, id est, falsam et contumeliosam accusationem: sed  
est fraterna correptio et charitatis officiū, quo te, tuosq[ue], cona-  
tus sum a tā gravi scelere revocare, & eos qui per te seduci  
possent, ne tibi acquiescāt, impedire, sicut conabatur Ioannes  
Baptista cùm ait Serpentes genimina viperarum, quis ostē-  
dit vobis fugere à venturaria? Et Apostolus dicens: O in-  
sensati Galatae, quis vos fascinavit non obedire veritati?

Quod terrere subditos, ut emendentur non sit  
tyrannicum, sed æqui juris imperium.

## C A P V T . III.

**D**Einde transiens ad ea qua in Epistola ad D. Ghentianum respondendo objectionibus R<sup>di</sup> Patris Horantij dixeram, quod si tu mihi subjectus fuisses & in mea potestate positus, potuissim tibi cum increpatione respondere, & minando deterrere, ne periculis, ne dicam pernitiosis disputationibus incumberes (sicut a me in suis objectionibus requirebat Horantius:) Hac igitur pertractans, magno fremitu adversum me insurgis, et magnas Deo immortalis gratias agis, quite tam tyrannico imperio & potestate, assuerit: Quasi tyrannicum sit imperium, si prefectus subditi instruens, cum increpatione & minis cum deterret, ne periculis & pernitiosis disputationibus incumbat. Ego de moribus vestris non dispupo, nec quam modeste imperatis inquiero, quia utinam nihil prater timorem inferretis: hoc solum te rogo, an Apostolus tyrannicum imperium Rom. 13. doceat, cum ait; Principes non sunt timori boni operis, sed mali. Et rursus, Si malum feceris, time; non enim sine 8. Tim. 5. causa gladium portat. Et ad Timoth. qui tantum Ecclesiastica potestate fungebatur; Peccantes (inquit) coram omnibus argue, ut & ceteri timorem habeant. Et Christus in Euangilio, servo, quem ad vocandum invitatos misit, Compelle, inquit, intrare, ut impleatur domus mea: plus enim est compellere quam terrere. Quero igitur in his divina scripturae testimoniis, quibus prefecti jubentur, subditis timorem incutere, ut errantes in viam reducant, an doceatur tyrannicum imperium, an potius aequum ius dominandi, quo is qui praest, unicuique subditorum, prout illis expedit, sincera charitate, ad Deum promerendum consulit?

Aliter

*Aliter enim regendi sunt servi pigri, qui verbis non emendantur, aliter liberi, aliter contumaces, aliter infirmi. Legge August. Epist. 48. hanc questionem ex scripturis sacris diligenter pertractantem, & videbis quam præter rationem, hoc loco animi tui acerbitatem, ex apertissimo errore, huic tua responsioni infercias.*

Quod ad quæstiones plures, plures dandæ sunt responsiones.

## C A P. III.

**E**iusdem planè absurditatis est querela sequens, quod ad questionem tuam plura continentem, non unam, sed plures dederim responsiones. Interrogasti enim quod ~~xpi~~ haberet Ecclesia, ejusque constitutiones seu traditiones? Ac deinde adjecisti: An hoc ~~xpi~~ constet pagina Sacrae Scripturæ? Quas questiones in duas dividens partes, respondi ex D. Aug. de unitate Ecclesie, Iudicium de Ecclesia, ex scripturis sacris esse petendum: & quia non simul dixi, etiam constitutiones seu traditiones, ex scripturis sacris dijudicandas, clamitas me, questionem tuam dividendo, peracutè quidem id fecisse, sed parùm candide ac sincerè. Miror te hic tuum Aristotelem non esse recordatum, tam in Topicis docentem, quomodo terminari debeat problema multiplex, quam in Elenchis, ubi explicat, quomodo dissolvi debeat sophisma. ex eo proveniens quod interrogans, plures interrogations ut unam facit, sicut tu in hac tua questione fecisti. Ex eo enim accedit sophisma, quod respondendo non dividitur ejusmodi propositionis ratio. Tu igitur ad quæstiones plures, responsionem unam absque divisione postulans, non sinceram & candidam (sicut videri vis) sed obscuram tenebris involutam responsionem exterquere conaris, ut sit locus sophismati: a quo remotissimus

esse debet, simplicitatis sacra scriptura pertractator. Quia  
 Eccle.37. qui sophastice loquitur (inquit Sapiens) odibilis est: in omni re defraudabitur, non est enim illa a Domino data graria: omnienim sapientia defraudatus est. Sed forsitan facile passus fuisses, me quæstionem tuam plura continentem, juxta regulas dialectices, in duas partiri, & utriq; quæstionis seorsum suam assignare responsonem, si modo generaliter jateri voluissē, constitutiones Ecclesiasticas ex sola scriptura sacra dijudicandas. Sed ego id dicere nolebam. Primo quidem, quia (sicut ex epistola ad D. Ghennart satis intelligere potuisti) mihi omnino propositum erat, dissimilatis alii quæstionibus, ante omnia tecum de sola Ecclesia differere: in quam disputationem etiam pluribus modis provocatus, haec tenus descendere noluisti. Deinde, tanta est ecclesiasticarum constitutionum varietas, ut non videantur omnes ex eodem capite dijudicandæ, aliæ enim desumptæ sunt ex scripturis sacris, ut quæ certò & in divinis literis sacrato dierum numero, jejunia præscribunt: aliæ verò ex traditione Apostolica: aliæ verò ex recta ratione, ut quodlibet hæreticorum lectio, indoctis & idiotis non permittatur. Lectio enim legentis est cibus, qui si sit veneno permisitus, opus est solertia, quæ in idiotis non est, ut prudenter dijudicetur. Et cum prohibeat Iohannes, ne is qui alienam doctrinam affert, in domum recipiatur, quamò magis prohibendum est, ne ejusmodi doctrina in animum rudioris lectoris admittatur: præsertim cum omnes natura mali sumus, & ad tenebras, in quibus nati sumus, quam ad lucem, in qua per Christum reformamur, multò profensores. Unde etiam sacrarum literarum indagatorem monet August. ut in initio studij literas apocryphas vitet, ne preoccupent imbecillum animum & periculosis mendacius, atq; fantasmatis.

bus eludentes, præjudicent aliquid contra sanam intelligentiam. Caterum ut constitutiones Ecclesiæ, ex jo. 18, scripturis sacris dyadicandas esse conclusas, catera pene omnia, quæ ad illarum comprobationem existimatis potuisse videri oportuna, veluti per transiens, canino denie per strinxisti, avens: me non potuisse fūspicari te aliud petivisse, nisi ut semel & clarè explicarem, an constitutiones Ecclesiæ, ex autoritate solius scripturæ censendæ essent? an verò ex patrum varijs, & sàpè inter se pugnantibus interpretationibus? an ex effrænatis, atque impotentibus Pontificum decretis? an ex contentioliis synodorum sanctionibus? an denique ex horridis, & spinolis scholasticorum concertationibus? Bene habet, quod dum jalutaris doctrinæ fulcimenta, tuo stylo velut aliud agens conatus es jugulare saltem Apostolicas traditiones, de quibus ait Apostolus: Tenete 2. Thes. 2. traditiones quas didicistis. siue per sermonem siue per epistolam nostram: & iudicium Ecclesiæ, quecum columnæ & fir-<sup>1. Tim. 3.</sup> mamentum veritatis, quam qui non audierit, sit tibi (inquit Christus) sicut Ezechicus & Publicanus: bene inquam Matt. 10. habet, quod haec duo nobis integra & intacta reliqueris, ut ex iis etiam constitutiones Ecclesiæ, posimus non tam dijudicare, quam defendere. Tunc enim dyadicanda, cum statuuntur: ubi autem statuta sunt, tunc sunt observandæ. Et primum cum his duobus fundamentis, ipsam rectam rationem admittis. ex qua juto te vel defendere constitutiones vestras, quibus per magistratus seculares, nunc a clero & monachis, nunc ab universis civitatibus per vos occupatarum incolis, exigitis abjurda et inter fideles habetens inaudita iuramenta, quibus bonas conscientias, aut sceleribus vestris impliceatis, aut sua oia deferere cogatis: quia horum.

juramen-

*juramentorum, neq; in scripturis sacris neq; in aliis salutaris doctrinae fundamentis, ulla sit mentio. Hic prudens per transeo ridiculum argumentum quo vis ex D. Aug. colligere, omnes omnino questiones ad scripturas sac. esse examinedas, quia id dixit de questione qua querebatur, Vbinam esset Ecclesiae corpus, quia non videtur responsione dignum.*

Quod alia sit intentio per propositionem significata,  
alia finalis, quæ priori frequenter adjicitur.

### CAPUT V.

**C**APITE 2. libritui, multa sophistice congeris, ut credargas quod dixi, & manifestissimis scripturis cōprobavi, quod eadem propositio servata eadem vocum significatione, posita alia & alia intentione enunciari, Nam licet Christus & servi reguli in Euangelio, eadem omnium vocum significatione, eademq; intentione per voces ipsas significata, regulo dixerint filius tuus vivit: attamen Christus hanc enunciationē alia finali intentione protulit, quam ipsi servi, nempe intentione faciendi quod dicebat; videlicet sanandi filium ejus. Quam intentionem, neq; enunciatio ipsa significat, neq; servi habebant cūm dicerent: filius tuus vivit: neq; etiam omnes intelligebant, qui audiebant Christum dicentem: filius tuus vivit: sed hi soli, qui filium usq; ad id momentum agrotasse neverunt, & simul credebant Christum verbis suis efficere velle, quod dicebat: sicut credidit Centurio confidenter domum abiens, & de filii sui sanitate non dubitans. Sed hanc loquentium intentionem, quæ extra significationem verborum frequenter concipitur, tu peregrinam vocas: ut sophisticando, & de duabus intentionibus, altera per voces significata, altera per loquentem cogitata, tanquam de una loquendo incurioso lectori nebula suffundas: nec permittas eum intelligere, quod clausis oculis

vide-

vidēris non velle attendere. Quis enim ignorat Abraham Gen. 12.  
duobus regibus dixisse de uxore sua: Soror mea est, & hoc & 20.  
dicendo, non tantum intendisse significare, quod verba ipsa  
significant; sed etiam occupando eos circa hanc intentione per  
verba significatam, voluisse impedire, ne cogitarent eam esse  
ipsius uxorem? quae fuit altera intentio, extra verborum si-  
gnificationem ab eo cogitata. Quod igitur ait me dicere; in  
his verbis: Hoc est corpus meū, servari propriā & genuinā  
omnium vocum significationē, verum dicis; sed quod addis,  
me simul negare iis significari ipsū illud quod voces proprie-  
sunt notant, hoc dicendo aut calumniaris, aut falleris.  
Vtrung, enim dico; videlicet, in his verbis, hoc est corp' meū,  
servari propriam & genuinam omniū vocū significationē;  
et his verbis significari ipsum illud, quod voces p̄prīe sump-  
ta notant. Sed addo Christum simul intendisse facere, quod  
verbis illis non quidem fieri sed esse designatur: quam inten-  
tionem faciendi, verba ipsa non significant. Quod autem ait  
hanc posse cuiquam esse dubium, quin ea verba proprie usur-  
pata, planissimè significant, panē illum a Christo sumptum,  
esse ipsius (scilicet Christi corpus) procul dubio non dices,  
si ex Dialetica didicisses, propriā aemonstrativorum prono-  
minum significationem, esse ipsam demonstrationem: Et id-  
ē cūm dicitur; Hoc est corpus meum si per pronomen (hoc)  
demonstrasset Christus panem quē manu tenebat, sicut vos  
prætenditis, tunc propria hujus pronominis significatio, fu-  
isset hic panis; sed quia non demonstrabat panem sed corpus  
suum, quod ex pane verbis suis facere intendebat, & disci-  
pulis distribuere manducandum; ideo propria hujus prono-  
minis significatio, in ea oratione non est panis, quem Christus  
accepit, sed corpus quod facere intendebat, ut diximus.  
Ex iis facile intelligitur, quam certum sit & evidens, quod  
dixi capit. 3.

dixi cap. 3. libri mei, enunciationem aliquam, manente eadem vocum omnium significacione, posse alia & alia intentione dici. Cujus rationem subjeci his verbis: quia quando una & eadem propositio, alia & alia intentione projectetur, non oportet eam intentionem, quae alia & alia est, illa enunciatione significari, sed eam tantum passionem, quem utrobiusque est eadem, ad quam significantiam, voces in propositione posita, sunt instituta: quae eadem passio, potest apud utrumque enunciantem eadem considerare, etiam si ipsa enunciationis pronuntiatio, a pronunciante ad aliam atque aliari intentionem, finali videlicet referatur. Hactenus verba mea quae cum apertissima sint, & indubitate, non est portentum quod dixi, sicut mihi objicis, sed potius est portentum, quod certissimam veritatem tamclare expressam non in lexis, aut etiam non satis lectam redarguere coneris. Neg, enim adduci possum, ut credam te tam stupidum, ut si paucis consideratis legeris verba mea, non attenderis, me de duplicitate intentione loquutum: altera que per verba significatur, altera vero finali, quae a loquente, extra verborum significacionem cogitatur, & non ex verborum significacione, sed ex aliis circumstantiis intelligitur, sicut supra ostendi, in hac enunciatione a Christo & servis reguli dicta: Filius tuus vivit. Sed sicut supra ex duabus questionibus, conatus es unam facere, unamque responsionem extorquerre, ut esset locus sophisticae; sic & hoc loco libenter confunderes duas intentiones, quas dixi Abraham habuisse quando dixit de sua uxore, Soror mea est; alteram quae verbis illis significatur, alteram vero finali, qua intendebat avertere suspicionem seu cogitationem Egyptianorum, quod esset eius uxor, ne propter illa occideretur: ut te in hac confusionis obscuritate voluntares, & sublata distinctione,

qua

que veritatem manifestat, tuo more sophistica apparentia, verbis ad eam rem ingeniose compositis, incumberes. Dicis eadem esse significare, & intentionem explicare, sed non attendis me toties inculcasse, quod sicut Christus dicens: Filius tuus vivit, nec dixit, nec verbis significavit intentionem, qua filium sanabat, sed illam regulo credendam reliquit: sic etiam dicens: Hoc est corpus meum, nec dixit nec verbis explicavit intentionem faciendi quod verbis illis significabatur, sed considerata ejus omnipotentia, & veritate, illam discipulis credendam reliquit: quam quia tu non vis credere, ideo nec eam potes intelligere. Nisi enim credideretis (inquit Propheta) non intelligetis.

Quod obtegere finalem sui sermonis intentio.  
nem non sit mendacium.

## CAPUT VI.

**Q**uod autem illos mendacii arguis, qui loquendo animi sui sensa obtegunt, hoc est, qui finalē intentionē reticent, propter quam enunciant quod dicunt sicut fecit Abraham cum de uxore sua dixit, Soror mea est, ut nemo uxorem esse suspicaretur, perridiculum est. Idenim dicit quod & veritas habuit, & sensit, sicut ipsi Abimelech postea apernit dicens: Verè soror mea est, filia patris mei, & non filia matris meæ. Sed hoc dicens, absq; omni mendacio aliquid reticuit, quod justissima ratione intendit, nepe, ut nemo cogitaret ipsam illi esse uxorem, ne propter illā occideretur, sicut Gen. 20. apertissimè declaratur.

Deniq; capitilis huius epilogū faciens, ut concludas verba Christi quibus ait: Hoc est corpus meum, Et: Hic est sanguis meus, non propriè ac substantialiter, sed symbolice, & per tropum esse necessariò explicanda dicis: Christum neq; enentiri posse, quod verum est: neq; mentem atque intentionem

tionem dissimulanter celare, aut abscondere voluisse, i  
quod etiam verum est, de intentione verbis significata; se  
intentionem conficiendi quod esse dicebat, ex aliis circum-  
stantiis intelligendam reliquit, ipsum omnipotentem atque  
veracem esse, fideliter credentibus: à quibus quia recessi-  
stis, ideo nec hanc posteriorem Christi intentionem intelli-  
gitis, sed illam quibus potestis argumentis impugnatis.

Addis hac verba: *Hoc est corpus meum, in propria sua  
significatione retineri nullo modo posse, Id quod supra fal-  
sum esse ostendimus, quia sive pronomen (hoc) demonstret  
panem quem Christus in manibus acceperat, sicut absurdè  
dicitis: siue corpus Christi, quod verbis suis ex pane con-  
ciebat, semper est propria loquutio, quia propria significatio  
pronominis, est ipsa demonstratio ut diximus.*

Iam puto vides, mi Sanct. Aldegonde, me non meis pe-  
dicis impeditum, sicut gloriaris, ut cogar fateri toties mu-  
tari enunciationis significationem, quoties mutatur qualis-  
cunque intentio loquentis verbi gratia finalis (de hac enim  
manifeste sum locutus) sed potius me vides sophisticis tuis  
ratiocinationibus ita expeditum, ut cuivis facile pateat,  
vanum esse quod tanto molimine conaris ostendere, non posse  
aliam et aliam esse enunciantis intentionem, etiam finalem,  
de qua manifeste locutus sum, nisi sit alia & alia enuncia-  
tionis significatio. Quod ais me, ut veritatis iubar caligi-  
nem mendacijs obscurarem, veteratorie argumentum tuum  
truncasse, in quo dicis te alterutrum effecisse, nempe vel illis  
vocabus intentionem dicentis non explicari: vel easdem  
certe voces, idem significando non idem significare: vel non  
recordans verba tua, multum falleris, vel ad alia verba  
tua respicis quam ego: *Sic enim* habent verba tua, à me  
commemorata: Cūm aīs, Enunciations manente  
eadem

ead in usitata, & genuina omnium vocum significacione alia & alia intentione dici, quid aliud designas nisi easdem illas enunciationes, idem significando non idem significare? Ostende hic distinctionem ex quate alterutram partem effecisse contendis, & considera, an ne his tuis verbis, aperte significaveris, quod asseruisse retuli, nempe quod dicere enunciationem aliquam, manente eadam vocum omnium significatione, posse alia & alia intentione dici, nihil aliud sit quam dicere, enunciationem aliquam idem significando, non idem significare. Hac tua tamen objectione admonitus reperi te postea repetendo superdicta verba tua, aliquid eis adiecisse, quod aliquid habet disunctionis: sed ego tantum priora tua verba citavi, & quam absurdum sensum contineant ostendi. Quod vero postea adiecisti illis vocibus intentionem dicentis non explicari, verum est de intentione finali loquentis, sicut sapienter dixi, non autem de ea quem verba ipsa significant.

Quod licet Deus faciat quod dicit, attamen id non debet de iis propositionibus intelligi, quarum res significatae prius exciterunt, quam in scripturis sacris dicerentur.

## CAPUT VII.

**Q**via in thesibus tuis theologicis, confessus eras Christum mandando multa fecisse: sed addideras argumentum à verbis mandandi ad enunciandi voces traducendum lumen esse, per quod significaveras, te quidem credere Christum mandando multa effecisse, sed non enunciando: sicut cum dixit: *Hoc est corpus meum.* Dixi virtute hujus enunciationis: *Hoc est corpus meum,* effici quod per eam non significatur mandando fieri, sed tantum significatur esse enunciando, sicut per hanc enunciationem: *In dolore*

lore paries filios tuos, effecit Deus, non quod illa oratio significabat fieri, sed quod tantum significabat futurum esse. Adhibuit tunc quidem aliud exemplum ex script. sacrificis quod ex tempore occurrebat, sed ad eandem rem pertinens. Si igitur Deus in futuro effecit, non quod jussit fieri mandando, sed quod maledicendo futurum enunciavit, dicens: In dolore paries filios tuos: quid mirum si etiam credatur fecisse, quod benedicendo esse enunciavit, dicens: Hoc est corpus meum? cum enim benedicit Deus (inquit Prosper in Psal. 108)

**Prosper.** Psal. 34. facit quod dicit. & quia Deus facit quod dicit, ideo Psalmista tantum a Domino petit, Dic anima mea, salus tua ego sum.

**Object.** Sed contra hac sic argumētaris. Si Deus facit quod dicit, quotiescunq; spiritus ejus res planè disparatas, alteram de altera enunciaverit per verbum est, cùm Deus oīa possit, fateamini necesse est, eundē Christū in verā vītis substātiā, in agnū, in leonē, in panem, in lapidem; & contrā, lapidem & panem in Christū fuisse transmutata: aut si hæc sunt & falsa & absurdā, quid est causē cur vos in singulari exēplo ita fastidiose urgeatis, quod in reliq; oīb. obstinatē repudiatis?

**Solutio.** Respondeo: quod quando Deus aut spiritus ejus, res disparatas alteram de altera per verbum (est) enunciāt, facit quod dicit, quando id quod dicit non prius fuit quam illud enunciāt;

**Iohan. 4.** ut filius tuus, videlicet ager, vivit: mulier, scilicet agra, **Lucæ 13.** dimissa es ab infirmitate tua: Tu es sacerdos in eternum

**Psa. 109.** secundum ordinem Melchisedech. In his enim enunciatio-  
**Psa. 148.** nibus locum habet quod ait Psalmista: Ipse dixit & facta sunt, ipse mandavit & creata sunt. Sed quando Deus id dicit quod prius fuit, tunc hoc dicendo non facit quod dicit, sed tantum enunciāt quod prius & dixit & fecit: ut cùm

**Iohan. 1.** Christus: Tu es Simon filius Iona. In his autem enunciatiō-  
enibus

enibus quas ex scripturis sacris protulisti, res significata nō tunc esse cœpit, quando Christus aut spiritus ejus illas in scripturis sacris enunciavit, sed longo antè tempore fuit. Christus enim prius fuit vitis, agnus, leo, panis, petra, quam diceret: ego sum vitis, ego sum panis. Item quam in scriptura sacra diceretur; Ecce agnus Dei, Petra erat Christus, Ioh. 16.  
 Vicit leo de tribu Iuda: & ideo nihil mirum, si Christus Iohan. 6.  
 aut spiritus ejus, his enunciationibus in scriptura sacra po- Iohan. 1.  
 fitis, nullam transmutationem fecerit; sed tantum id esse Apoc. 5.  
 significaverit, quod antè cœpit esse quam hac diceret. Id autem quod hac enunciatione significatur, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus, non prius fuit, quam hoc a Christo diceretur. Nam si res illa significata prius extitisset, quam Christus hac enunciaret, tunc Christo adhuc tacente, aut panem nondum accipiēte, potuisset sanctus Petrus, & alius quivis, iisdem rebus demonstratis Christo veraciter dicere: Hoc est corpus tuum, Hic est sanguis tuus: quod credo ne vos esse concessuros. Ut autem intelligatur, quomodo harum enunciationum, Ego sum vitis vera, Ecce agnus Dei, vicit Leo de tribu Iuda, Ego sum panis vivus, Petra erat Christus: quibus similes sunt; Paschæ seu agnus paschal is est Christus, Sapientia est lignum vitae omnibus amplectentibus eam: ut inquam intelligatur, quomodo harum enunciationum res significata prius extiterit, quam à Spiritu sancto in scripturis sacris enunciaretur, sciendum est, has universales voces; vitis, agnus, leo, panis, propter aliquam significatae rei similitudinem, Christo figuratae attribui: vitiis propter nutrimentum quod palmitibus suppeditat: agnus propter innocentiam: leo propter fortitudinem; panis propter vita subsidium, que res prius Christo inerant, quam haec orationes scripturis sacris enunciarentur.

Quod Christus non dicatur metaphorice. Agnus Paschalis, aut Petra in Oreb percussa : sed quia per eas res sacramentaliter significatur.

## CAPUT VIII.

**A**ugusti. **H**Æ verò tres voces Agnus Paschalis, Petra, & Lignum vitae, non metaphorice Christo & sapientie tribuntur. Nam sumuntur in propria sua significatione, nempe Petra ut lapidem significet virga Moysi in Oreb percussum, Agnus Paschalis, ut significet animal, quod a Iudeis in paschate immolabatur in phase; & Lignum vitae, ut significet certam arborem Paradisi. Vnde D. Augustinus de Gen. ad literam libr. 8. cap. 4. quando haec commemorata sunt, inquit: sapientia est lignum vitae omnibus amplectentibus ea, & Petra erat Christus, non erat illa figurata locutio, sed earum rerum expressa narratio, quarum erat figurata processio. Et infra: Recte quippe appellatur quod ad eam significandam processit. Igitur haec duas voces, videlicet (Petra) & (Agnus Paschalis) non metaphorice Christo tribuntur, sicut nec vox (Lignum vitae) tribuitur ipsi sapientiae, sed tantum ratione rei significatae, que prius sacramentaliter instituta fuit, ad id significandum, cui vox ipsa tribuitur, quam Christus in scripturis sacris diceretur esse Petra in Oreb percussa, Agnusq; Paschalis, & quam sapientia diceretur lignum vita. Nam Petra in Oreb virga Moysi percussa, tunc ad significandum Christum in cruce proprius scelus populi Domini percussum, sacramentaliter est instituta, quando virga Moysi percussa aquas fudit: & Agnus Paschalis, quando ad immolandum jussu Domini deputatus est: & lignum vita tunc institutum est ad sacramentaliter significandam sapientiam, quando in Paradyso est plantatum. Sicut enim dicitur: Haec statua est sanctus Franciscus, non qui &

*quia vox ista (statua) proprie, aut metaphorice significat sanctum Franciscum, sed quia lapis ipse demonstratus, aut lignum exsculptum (quod proprie non metaphorice per statuam significatur) sanctum Franciscum representat: si etiam dicitur, quod Petra, videlicet in monte Oreb percussa, erat Christus, non quod vox Petra in illa oratione, proprie vel metaphorice Christum significet, sed quia lapis ille quem vox (Petra) proprie significat, dum percutiebatur, sacramentaliter institutus est ad significandum Christum.*

*Quod in hac oratione: Hoc est corpus meum, pronomen (hoc) nec metaphorice sumatur, nec demonstraret rem, quæ corpus Christi prius sacramentaliter significabat.*

## CAPUT IX.

**P**orrò in hac enunciatione, quam Christus in cena novissima protulit: *Hoc est corpus meum, pronomen (hoc) neg, metaphorice sumi potest, ut Christi corpus tropicè significet, quia ejusmodi pronomina, metaphoram nō admittunt, sed demonstratio rei de qua agitur, est tota pronominis demonstrativis significatio. Et licet vocabulum panis, dum indefinitely dicitur, admittat metaphoram, ut cūm ait Christus, Ego sum panis vivus qui de cœlo descendit: attamen, quia in hac enunciatione non dicitur: panis est corpus meum sed loco subjecti tantum ponitur pronomen (hoc) quod individuum significat. Ideo non potest hujus metaphora hic haberiratio. Insuper pronomen (hoc) non demonstrat rē aliquam, quæ prius sacramentaliter instituta fuerit ad significandum Christi corpus: Nam secundum vos demonstrat panem illum, quem Christus tenebat in manibus, qui, priusquam Christus hoc diceret, non magis institutus fuerat in sacramentum corporis Christi, quam quivis alius panis:*

Igitur cum Christus dixit: *Hoc est corpus meum, si pronom  
en (hoc) demonstreret panem, sicut vos diciis, nulla potest  
esse alia istius sermonis intelligentia, quam quod hec indi-  
vidua panis substantia sit Christicorpus, quo nihil est ab-  
surdius: quia ut jam ostensum est, neq; per metaphoram id  
dici potest, neq; etiam ratione rei, ad quam significandā panis  
ille prius institutus erat: quia panis quem Christus tunc se-  
cundum vos demonstrabat, nihil sacramentaliter significa-  
bat, ad quod respectus haberet potuisse, cūm diceret: *Hoc est  
corpus meū.* Accipe simile, cuius etiam supra meminimus:  
Si quis de lapide in imaginē sancti Francisci exsculpto dicat;  
*Hic lapis est sanctus Franciscus*, verum dicit propter rem  
quam lapis exsculptus significat: sed si quis id ipsum de lapi-  
de adhuc rudi enunciaret, omnino absurde loqueretur, quia  
non posset haberi respectus ad rem significatam per lapidem  
qui adhuc rudi nihil significat, sed tantum ad ipsam lapi-  
dis substantiam: quae sine aperta absurditate dici non potest  
esse sanctus Franciscus. Id ipsum aut, & in vocibus quae in-  
ter homines significandi principatu obtinent, manifestissime  
ostenditur. Priusquā enim vox (homo) quae sensibilis quali-  
tas est, ad significandam creaturam rationale institueretur  
& usurparetur, non minus absurdū fuisse dicere: homo est  
substantia, quam nunc absurdum esset, si quis prolata voce  
nullius reis significativa diceret, bū est substantia. Sed post-  
quam vox (homo) hanc accepit significationem, tunc nemo  
miratur, cūm dicatur, quod homo sit substantia: quia audi-  
to hoc sermone, statim intelligitur debere accipi, non de illa  
voce quod sit substantia, sed re per vocem significata. Eodem  
modo cūm secundū vos dixerit Christus: *Hic panis est cor-  
pus meum*, si hic inveniretur præceteris panibus, prius insti-  
tutus fuisse in sacramentum corporis Christi, quam hoc di-  
ceretur*

ceretur, nemo sermonē illum deberet admirari: sed quia nec  
vos dicitis, hunc panem prius fuisse institutū in sacramen-  
tum corporis Christi, quam hoc diceretur; sed vultis id tro-  
po dici; ideo absurdā est vestra intelligentia, qua dicitis per  
pronomen (hoc) demonstrari hunc panem. Quibus omni-  
bus consideratis manifeste efficitur, aliter dici non posse, quā  
quod Christus dicens: *Hoc est corpus meum, pronomine*  
(hoc) *demonstraverit non panem, quem manu tenebat, sed*  
*corpus suum, quod verbis suis efficiebat: ut diximus.*

Iam puto vides, Sanct Aldego de frater, quod quemad-  
modū prius in verbo substantivo (est) quod pro (significat)  
positum voluisti, deinde in attributo (corpus meum) per  
quod corporis Christi signum intelligendum putasti, secun-  
dum scripturas sacras, non invenisti tropum quem tanta  
instantia quæsiuisti; sic & nunc in pronomine (hoc) non po-  
tuisti invenire quod putasti, nempe quod pronomen (hoc)  
aut per metaphoram corpus Christi significaret, aut rem  
aliquam demonstraret, quæ prius instituta fuisset in sacra-  
mentum corporis Christi. Obsecro te, jam satis diu cum Psal. 11.  
impiis circumivisti: (*In circuitu enim impij ambulant*) re-  
gredere aliquando in rectam simplicis veritatis semitam,  
& veræ fidei lumen aspice, ut possis aliquando fæliciter intu-  
eri, quod nunc infideliter credere recusas, nempe, quod Christus  
dicendo: *Hoc est corpus meum, ex pane, quem manibus*  
Psal. 148.  
*tenebat, vere corpus suum effecerit: quia ipse dixit, & fa-*  
cta sunt, ipse mandavit, & creatæ sunt. Et quia Christus  
etiam Apostolis eorumq; successoribus præcepit: *Hoc facite*  
*in meam commemorationem;* ideo etiam sacerdotes in per-  
sona Christi dicentes: *Hoc est corpus meum, & Hic est san-*  
*guis meus, id ipsum faciunt, quod Christus in novissima*  
*cœna fecit.*

Quod Christus prætendatur vocibus & tactu non fecisse miracula, ad hoc videtur referri, ne ipsius sacramentis, vis aliqua operandi tribuatur.

## CAPUT X.

**I**N response ad objectiones tuas, contra meam responditionem ad posteriores questiones, per te mihi propositas, dixeram, quod sicut Christus mandando multa effecit, quæ nos iisdem verbis, eadem significatione acceptis, tantum precepere solemus ut per alios fiant, ut surge, tolle grabatum tuum & ambula: & Lazarus veni foras: Extende manum tuam: Respice, &c. Sic etiam per præsens multa effecit, quæ nos iisdem verbis, eadem significatione acceptis, prius fuisse significamus: ut, Filius tuus vivit, cui in thesibus tuis, more tuo dissimulatis sacra scriptura testimoniis, quibus dicta mea confirmavi, Respondes te non inficiari Christum mandando multa fecisse, si mandatum referas ad mentem, ac voluntatem, & non ad magicam vim verborum, quæ tantummodo ad illam explicandam indicandamque adhibentur. Quibus verbis tuis intellexi, sicut quivis alius intelligeret, te sentire curationem paralytici, resuscitationem Lazari, aliasq; sanitates supra commemoratas, divina quidem mente ac voluntate factas, sed non vocalibus Christi verbis, quæ tantummodo (ut ait) ad explicandam indicandamq; divinam voluntatem sunt adhibita, & non ad aliquid operandum: & quod tribuere dictis Christi vocibus, aliqua operandi vim, sit magicum, id est, fallax curiosorum hominum presumptio, cui se solet diabolus insinuare, occultas sua potestate faciens, aut simulans facere, quod homines errando, verbis aut signis magicis ascribunt. Hanc eandem verborum tuorum intelligentiam, tua hac response repetis, dicens:

Verbum

Verbum Dei vobis esse Dei voluntatem, ac decre-  
um, cui summam efficientiam inesse creditis: sed  
oces & typos, esse nuda signa. *Quacum apertissima*  
*it, attamen, ut increpationibus, & verborum involucris*  
*intentionem tuam obnubiles, non erubescis perfricta fronte,*  
*praedictam meam, immo potius tuam intelligentiam, ap-*  
*pellare impudentem calumniam, vel putidam oscitanti-*  
*n;* Addisq[ue] meum stuporem prodidisse, quod  
eternam Dei voluntatem, à verbis Christi vocalibus,  
ad significandum adhibitis, distinguere nō potui.

*uasi videlicet ego eternam Dei voluntatem, quae rerum*  
*nnium prima, & radicalis causa est, à verbis Christi vo-*  
*libus, quibus tanquam instrumentis usus est, ad illumi-*  
*andum cœcum, ad suscitandum Lazarum, aliasq[ue] sani-*  
*ates perficiendas, distinguere non potuerim, quia contra*  
*pertissima Sacrae Scripturae verba, quae non tantum tactu*  
*sum Eli[ze]i, sed etiam magno Christiclamore mortuum* 4. R. e. 13.  
*suscitatū ostendunt, nolui fateri, non fuisse verā vocis Chri-*

*operationē, qua Lazarum suscitavit, sed magicā, sed ca-*  
*listicā, sed diabolicā: sicut etiam de Christo commenti-*  
*nt Pharisei, quod in Beelsēbū principē demoniorū ejicie-*  
*t demones. Ego igitur, mi Philippe, non tantum eternū*  
*ei verbū quod rē omnium primā causa est, à temporali,*  
*à vocali verbo, quo & ad significandum, & ad operan-*  
*dum tamquam instrumento usus est Christus quando vo-*  
*uit, distinguere potui, sed etiam tuam absurditatem re-*  
*largini, qua negas Christum verbo suo vocali operatum,*  
*ūm paralyticum sanavit dicens: Surge, tolle grabatum* Marc. 2.  
*ūm & ambula; cū Lazarum resuscitavit clamans vo-* Ioha. 11.  
*e magna, Lazare veni foras: sicut suo tactu auriculam*  
*Malcor restituit. Quid autem te moveat, ut contendas ma-* Luc. 23.  
*gicum*

gicum esse, dicere Christum esse usum verbis suis vocalibus  
 tanquam instrumentis, ut sanitates perficeret: ex quo sequi-  
 tur, quod nec tactu vestis sanaverit mulierem patientem flu-  
 xum sanguinis, nec tactu manuum curaverit leprosum, aut  
 auriculam Malco restituerit, sed quod id dicere sit magicum,  
 quia non est alia de vocibus, quam de tactu ratio: quid in-  
 quate moverit, ut contra oim intelligentiam hæc dices, pauci-  
 cis verbis indicasti, dices: Cum Christus dixit panem que  
 acceperat esse suum corpus, haud sane voluit istis voci-  
 bus vim ac facultatem tribuere, ut quotiescumque, & a  
 quocunque illæ pronunciarentur, toties miraculorum  
 nova vis ederetur. Non quidem hoc dixit Christus quod  
 illi fallaciter imponis, videlicet panem quem acceperat esse su-  
 um corpus, sed dixit: Hoc est corpus meum: sed de hoc alias.  
 Nunc illud considerandum est, te fateri nolle Christum verbis  
 suis vocalibus Lazarum quando voluit resuscitasse, ne quis  
 forte inde colligat, absurdum non esse si quis dicat, etiam Christum  
 verbis suis ex pane corpus suum consecuisse, ipsosque sa-  
 credotes, qui ad hoc consecrati sunt, ut Christum represen-  
 tantes in eius persona hoc etiam dicerent, idem facere. Sicut  
 enim ex vestra conspiratione prorsus exhibastis Christi con-  
 silia, de quibus principio hujus defensionis, sic etiam abjecisti  
 universae ejus sacramenta; sed in hoc differentiam po-  
 suistis quod in Christi consilio nullam retinuistis specie aut  
 umbram quarudioribus illuderetis, & simularetis vos ob-  
 servare quod non observatis. Nam licet conqueraris apud  
 nos esse infinitas monachorum formas, que Christi consilia  
 profitentur: attamen neque ex eis aliqua vobis placet, neque  
 alia per vos excogitata est, in qua aliqui ex vobis profite-  
 rentur se Christi consilia conservare velle. In sacramentis  
 vero invenitis fucum, quo simularetis vos servare quod non  
 servav-

servatis: explosa enim omni verborum vi, quibus Christus  
 baptismū & sacram Eucharistiam perfici mandavit (quam  
 vim dicitis esse magicam) solam verborum factorumq; sig-  
 nificationem & doctrinam reservastis; ut rudioribus, qui  
 artem vestram non observant, illudatis. Hac sunt non sa-  
 cramentorum, sed præstigiorum vestrorum mysteria, qua  
 apud fideles tanta sunt absurditatis, ut ea Christianis au-  
 ribus aperuisse, satis sit redarguisse. Quod autem ait, istis  
vocabus: Hoc est corpus meum, non esse eam vim  
inditam, ut à quoque pronuncientur, id effi-  
ciant quod esse significant, Verum dicas: quia sicut  
non cuivis Angelo commissum fuit, ut diceret: Ego sum  
'Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, sed illi dun-  
Exod. 3.  
taxat qui ad hoc a Deo deputatus fuit, ut divinam perso-  
nā representans diceret, non quod sibi, sed quod illi perso-  
na congrueret, quæ per ipsum significabatur: Sic etiam non  
cuivis homini commissum est, ut persona Christi represe-  
ntet, & in ejus persona efficaciter dicat, quod non persona loquēti,  
sed Christo significato congruit, Hoc est corpus meum, sed  
solis Apostolis, eorumq; in ea re successoribus sacerdotibus,  
quibus a Christo mandatū est: Hoc facite in meam comme-  
morationē. Nam si quis alius ad hoc per consecrationē non  
deputatus, id attinet dicere (sicut apuā vos quotidie faci-

unt sutores, & calcifices) non tantū nihil operatur, sed

etiam perniciose mentitur, significans absq; legitima commis-  
sione, se Christi personam gerere: sicut absq; dubio menti-  
 retur, quisquis absq; legitima commissione diceret: Ego sum  
Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob: quia cùm is  
Deus non eset, neg<sub>3</sub> Deum significando representaret, ut ra-  
tione rei significata poset vere dicere: Ego sum Deus, palam  
mentiretur, afferendo quod verum esse non posset.

Quod

**Quod hæc Christi enunciatio : Hoc est corpus meum,**  
**semper vera fuit, etiam si Christi corpus, non**  
**nisi ultimo ejus momento, ibi**  
**esse cœperit.**

## CAPUT XI.

**C**apite tuo quinto, ait, caput *Apologiæ meæ sequens*,  
**quod in ea septimum est, sententia meæ in epistola magis**  
**ac magis prodere: nempe quia contra id quod dixisti, quod**  
**eo ipso momento, quo Christus hæc verba proferre**  
**incipiebat, videlicet, Filius tuus vivit, jam sanus erat**  
**reguli filius : tanta manifestatione ostendi orationes qui-**  
**bis aliquid efficitur, non eo momento quo pronunciari inci-**  
**piunt sed eo quo pronuntiatæ sunt, suum effectum consequi,**  
**ut modo nolens volens id ipsum fatearis.** Addis tamen te  
**in momentis syllabarum, nullam vim constituisse,**  
**nec ejusmodi quippiam, vel per somnium tibi in**  
**mentem venisse. Quid tibi in mentem venerit, nescio: sed**  
**quid à calamo tuo processerit, hoc in scriptis tuis lego, hoc**  
**redarguo, & nihilominus quasi te paenituerit approbase**  
**quod dixi: Si vir animo ducendi uxorem mulieri dicat,**  
**Tu es uxor mea: & illa vicissim viro dicat, Tu es vir me-**  
**us, secundū Iuris consultos non eo momento quo vir & mu-**  
**lier loqui incepissent, sed quo sermonem complevisserit factos**  
**esse conjuges: atq; ex eo conclusi, orationes quibus aliquid**  
**efficitur, non ipso momento quo pronunciari incipiunt, sed**  
**eo quo pronuntiatæ sunt, suum effectum consequi argutaris,**  
**dicens; Quod si per pronomen (hoc) dicente Christo :** Hoc est corpus meum, demonstretur corpus  
**Christi, ratione illius instantis in quo finitur oratio,**  
**igitur donec planè finita sit oratio, Christus menda-**  
**cij reus à vobis peragitur. Vis ne similiter ex dictis tuis**  
**colligamus: quod si vir & mulier, non eo momento quo lo-**  
**qui cœ-**

qui cœperint facti sunt conjuges, sicut ipse fatēris, sed quo  
sermonem compleverint: Igitur donec plane finita sit oratio  
mensacijs resunt, dicentes: Tu es uxor mea, Tu es vir meus?  
Si autē hæc duas orationes, ideo semper verae sunt, quia non re-  
feruntur ad momentum quo pronunciari incipiunt sed ad  
illud quo pronunciatae sunt: similiter intellige quod licet per  
pronomen (hoc) demonstretur Christi corpus sub specie panis,  
eo momento futurū, quo hæc oratio completa fuerit, Hoc est  
corpus meum: autamē semper vera est oratio, quia nō refer-  
tur nisi ad illud tempus, quo res se habet, sicut ipsa enunciatio  
significat. Puerilia sunt quæ hic argutaris & Sacr. literarū  
per tractatorem indigna, sed quia forsitan eos movere possent,  
qui in Dialecticis, in Æt. & Sophisticis minus sunt exercitati;  
ideo tuo sophismate respondendū esse putavi, quo niteris ostē-  
dere, non quidē in Christi verbis, ut aīs, sed in nostra inter-  
pretatione turpissimā falsi labem esse: quam non video quo-  
modo deterges a tua interpretatione, qua aīs; per pronomen  
(hoc) panem demonstrari, ipsamq; enunciationem ad illud  
tempus esse refrendam, quo pronunciari incipit. Quia pa-  
nis quem pronomen (hoc) secundum vos demonstrat, pri-  
mo orationis momento, nihil ulterius significat, ratione cuius  
possit dici esse corpus Christi: ac proinde secundum vos, nulla  
potest esse hujus enunciationis intelligentia, nisi quod hæc pa-  
nis substantia sit Christi corpus: a qua intelligentia, si false  
labem absteresis, eris mihi magnus Apollo. Si vero (non  
ex script. sacra. sed ex tua presumptione & Sapientia) dixe-  
ris, quod ante Christi verba quibus aīt: Hoc est corpus meū,  
panis hic in sacramētum transferit, ut ratione rei significatae  
per hunc panem a Christo acceptum in manus vere dixerit  
Christus: Hoc est corpus meū. Igitur & quivis alius, ante  
Christi verba ipsi Christo potuit veraciter dicere: Hoc est  
corpus

corpus tuū. Nec in hujus sacramēti distributione, opus erit  
ullis verbis: sed sicut stramen vasi absq; ullis verbis imponi-  
tur, nihilominus à transētibus tantisper intelligitur signi-  
ficare vas esse venale, donec à vase deponitur: sicutiam panis  
vester absq; omni sermone, per hoc quod vice corporis Christi  
distribuitur, tantisper intelligetur, usū esse ipsum Christi  
corpus, donec hic uſus ceſaverit, sicut etiam suprà attigi-  
mus. Quod autem te planissima omnia facere jactas, dicens;  
Quòd ex quo Christus voluit hunc sacramatum ac be-  
nictum panē, in eum à nobis usum accipi, ut esset  
vice sui corporis, jamjam in ara crucis morituri: non  
fuit amplius vulgaris panis, sed ipsum ejus corpus, nō  
quidem ulla substantiarum commigratione, sed usu  
& destinatione: *Quid alius, quā nos verborū involueris,*  
& sermonis ambiguitate ludificas. Incertum enim est, quo ad  
tempus designes, dicens: Ex quo Christus voluit hunc  
panem à nobis accipi, an eternū (voluntas, enim Christi  
eterna est,) an temporale, quādovidelicet à nobis accipitur,  
juxta illud: *Accipite & manducate.* Deinde, hunc panem  
vocas sacramētu & benedictū, sed non explicas quādo, & qui-  
bus verbis sit sacratus & benedictus: an his: *Hoc est corpus*  
*meū, an aliis, an nullis:* & quem effectū habuerit ea benedi-  
ctio. Quòd si foriē dicas, non esse verbis vocalibus benedictū  
(id enim magiciū esse contendis) sed tantū eterna Dei vo-  
luntate: adhuc restat explicare, quando sit eterna Dei vo-  
luntate benedictus, & sacratus: an quando Christus dixit,  
*Hoc est corpus meū, an quando illū manducandū tradit,* di-  
sens: *Accipite & manducate.* Satis sentio te non libenter cō-  
fiteri, quòd hic panis eo tēpore versus sit in sacramētu, quo  
Christus dixit: *hoc est corpus meū, ne cogaris fateri, hūc pa-*  
*ne, primo momento quo Christus hanc orationē inchoabat,*

Hoc

*Hoc est corpus meum, non dum fuisse sacramentum corporis Christi; ac proinde, non posse veram esse vestram intelligentiam, qua per hanc enunciationem: *I*so est corpus meū significatum esse contenditis, quod hic panis sit corpus Christi. Explica tandem quid velis, & sermones indefinitos de medio tolle, ut possimus certa & definita oratione, tecum ex presuppositis, de questionis tuae capite differere. Laus tamen Superis, quod nunc ex scripturis sacris didiceris, non debuisse nuper tibi fastidiosum fuisse, quod ego panem, quem Christus fregerat, dederatq; discipulis, semel atque iterum benedictum nuncupaverim, quia hunc eundem panem nunc & sacram & benedictum nuncupasti. Sed tamen doleo, quod ita vocem agnoscas, ut rem voce significatam obstinate perneges, contendens Christi benedictione, nullam panis factum esse mutationem. Quando enim Deus benedit (inquit Prosper) facit quod dicit: sicut etiam patet in maledictione, quam mulier imaledixit, dicens: In dolore paries filios tuos. Insuper in tua declaratione, qua te existimas omnia planissima facerea, addis hunc panem fieri Christi corpus, non metamorphosi, sed usu ac destinatione. Quibus verbis, rursus, per circuitum, ad illud redi, quod tibi prius extortum est, nempe hujus enunciationis attributum, *Hoc est corpus meum, non sumi propriè pro vero Christi corpore, sed figurate, pro signo corporis Christi.* Hoc enim significat verba tua quibus ait, panem hunc fieri corpus, non metamorphosi sed usu & destinatione, hoc est figura, non rei veritate. Deniq; addis similitudinem annuli, quo Episcopus aut Abbas investitur. Sed longè exactius vestro sacramento correspondet similitudo straminis vasi impositi, quia annulus post investitionem, diligenter & honorificè conservatur, ac in rei memoria publicè ostentatur; vestrum*

*Prosper  
super  
Psal. 103.*

autem sacramentum, nec conservatur, nec ostentatur, sed aut usu consumitur, aut cessante usu, ad pristinū suū statū revertitur, sicut stramen vasi impositum, si in sua significacione non sit coniunctū, cum à vase detrahitur omnino tale evadit, quale erat prius quā vase ad significādū imponeretur.

Quod responsio de transsubstantiatione ad testimonia,  
Filius tuus vivit; & Mulier ecce filius tuus,  
sit omnino extra causam.

## CAPUT XI.

**C**apite septimo Apologia mea improbaveram, quod videris mihi veritatē, & verborū Christi intelligentia, corporeis sensibus metiri, & magis fidere, et inherere phantasie, quam ex sensuum exteriorum judicio concipis, nempe quod in pane & vino, per Christi benedictionē nulla sit facta mutatio; quā credere verbis Christi, in script. sacra manifestissimè contentis quibus ait: *Hoc est corpus meū, & Hic est sanguis meus. Et tamen nobis absq[ue] ulla apparentia impropetas, quod trāsubstantiationē soli exteriorū sensuum iudicio superstruimus.* Contra quæ quid cap. 5. responsionis tuae dicas, non est opus hic explicare; videat lector, et judicet: quia sentio ubi cerebrum commoveri, si quid per te dictum exaltiūs discutia, quod existimas ex p[ro]p[ri]o in quo non contingere caput disputationis nostra, quam facere vis de transsubstantiatione. Ut igitur ostenderem eandem enunciationem, alia & alia intentione posse proferri, dixeram Christū alia intentione, scilicet finali, dixisse regulo; *Filius tuus vivit.* nempe intentione sanandi filium ejus; alia servos, nempe intentione latificandi Dominū suū de sanitate filij: *Hic tu respondisti in curatione filij reguli, nullā significari transmigrationē substantiæ in substantiā.* Ad quod dixi, ratione per te data, velut a somniāte, omnino extra causā adductam, quia non agebamus de transsubstantiatione, sed an eadem

eadem enunciatio, servata eadem significatione, posset alia & alia intentione proferri. Atq<sup>z</sup>, ut ostenderem, posse alia atq<sup>z</sup> alia intentione, videlicet finali, proferri, illam scripturā adduxī, non tanquam exemplum aliquod, quo per verbū (est) significatur transubstantiatio, sicut tu contra tua, & mea expressa verba tibi configis. Sic enim habet initium cap. 7. in apologia mea: Subdis in tua responsione, exempla script. sacræ per me proposita, ut ostenderē unam & eandem enunciationē, servata eadem vocū significatiōne, posse alia & alia intentione proferri: videlicet Filius tuus vivit: &, Mulier ecce filius, cum nō argumento nihil habere commune, eò quod nullā significant transmigrationem substantiæ in substantiam; sed tantū accidentis in accidens. *An non hic manifeste vides, ad quid probandum adduxerim illa duo script. sacrae testimonia: Vade, Filius tuus vivit; &, Mulier ecce filius tuus?* Ethic adhuc conquereris, quod ad tuam transubstantiationē, in his testimoniis per te allegatā ne gry quidē responderim. Obsecro an non satis magnum gry fuit, quod te dixi in primā responsione, addicta testimonia veluti somniantē respondisse, & quod nunc adhuc dico, te in eodē somnio perseverare, quando à me petis, ut aperte fatear, Beatam virginem duos ex sua substantia habuisse filios, alterū ortu, alterum transubstantiatione, cū in productione dictorum testimoniorū, nullam omnino trāsubstantiationis mentionē fecerim, sed tantū conatus sum ostendere, eandē orationē, alia & alia finali intentione dici? Nam Christus in cruce dicens matrī de Iohanne: *Hic est filius tuus, finaliter intendit his verbis, Iohannem in Mariæ filium adoptare.* Si autem S. Petrus postea hoc idem Beatae Marie dixisset, tunc tantū intendisset, id significare, quod à Christo factum

erat in cruce, nempe significare, quod Iohannes esset filius  
Mariae adoptivus.

Hic præterire non possum, id de quo & mihi congratulor,  
 Et tibi condoleo, nempe quod me facetum scurrum vocas:  
 gaudeo enim quod a Domino judicatus sum dignus, qui pro  
 veritatis defensione contumeliam sustinorem: Nam beati  
 estis cum maledixerit vobis homines, & dixerint omne ma-  
 lum adversum vos, mentientes propter me; gaudete & exul-  
 tate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis, inquit Christus.  
 Sed me contrastat, quod cum hactenus gloriatus sim de-  
 te, quod licet pro defensione cause quam sustines, multa dice-  
 res, quem mihi non placerent; attamen a convicis & contu-  
 meliis abstineres. Nunc autem non video, quo modo hoc ver-  
 bum, quod tibi hic excidit, reserre queam ad defensionem cas-  
 sa quam suscepisti, & non potius ad studium ledende & in-  
 honorandæ personæ meæ, quod est convicij et contumelie pro-  
 prium. Potest quidem a furore oculus meus conturbari, ut  
 alicui inferam judicium contumelie, sicut mihi principio  
 tuæ responsionis objecisti, sed sincere dico, si quid a me pro-  
 diit, quod tale quippiam tibi sonare videtur (cujus non sum  
 mihi conscius) non intendi id quod mihi impingis. Si quid  
 autem inter dum differendo conatus sum lepidius dicere, id  
 non feci animo irritandi quemquam, aut vanè delectandi, si-  
 cut solent faceti scurrae sed studio consulendi fidelibus, ut ab  
 erroribus revocarentur: sicut Heliam fecisse arbitror, quæ-  
 do sacerdotibus Baal illudebat, dicens: Clamate voce ma-  
 jore, Deus enim est, & forsitan loquitur, aut in diversorio  
 est, aut in itinere, aut certe dormit, ut excitetur.

Quod hac oratione, Petru erat Christus, nulla efficitur  
 transmutatio, quia tantum significatur quod ante  
 fuit, quam haec oratio pronunciaretur.

## CAPVT XIII.

**C**apite viii. refricas verbi (est) unam & simplicem esse significationem, sed ubi conjungitur Categoriis tū accipi pro re subjecta: de qua re satis dixi in Apologia, sed cū eo quod addis, me magno studio voluisse verbi (est) significationem introducere ad fieri, ut persuaderem, Hoc est corpus meum, idem significare, atq; hoc fit, vel hoc factum est corpus meum; *Vellem adjungeres quo loco, aut quibus verbis conatus sum hanc verbi (est) significationem introducere, ut appareret, quam sit verum quod dicas.* Dixi cap. 4. Apologiæ meæ, virtute hujus propositionis: *Hoc est corpus meum, posse fieri, quod per eam non significatur fieri, sed tantum significatur esse: ubi satis aper-te significavi, verbum (est) in propria significatione, & non pro (fieri) accipi: sed ubi diversum afferuerim, non invenio.* Proinde observa, ne forte in libro meo non inveneris, quod mihi scribis, nempe quod magno studio voluerim verbi (est) significationem introducere ad (fieri,) ut persuaderem; Hoc est corpus meum, idem significare, atque hoc fit vel hoc factum est corpus meū, sed te potius hoc, aut dormiendo som-niaſſe, aut vigilando confinxisse.

Dicis in hac oratione: *Petra erat Christus & sub-jectam vocem, & quæ illi attribuitur, justitiam signi-ficare. Et verum dicis; ac deinde rogas, cur non credimus Petram substantialiter fuisse in Christum trans-formatam?* Respondeo, quod sicut *Petra, quæ est vox sub-jecta lapidem significat: sic & ipse idem lapis significatus, ulterius sacramentaliter Christum repræsentat, de quo di-citur: Petra autē erat Christus, id est, res significata per illū lapide virga Moysi percussum, erat Christus: quod quia sine sella transmutatione verum invenitur, ideo in hac oratione:*

Petra erat Christus, nulla transmutatio queritur, ut vera esse inveniatur, sicut nec in hac; Hac statua est s. Franciscus, homo est substantia: quia cum dicitur, Petra erat Christus, non ad signum, sed ad rem significatam respicitur, quæ longo tempore prius fuit, quam hoc ab Apostolo diceretur. In hac autem oratione: Hoc est corpus meum, nihil potest intelligi demonstratum, quod iunc fuerit Christi sacramentum, cum hoc dici inciperet, ut intelligi queat sermo esse, non de re per pronomen (hoc) demonstrata, sed de re sacramentaliter, per rem illam demonstratam ulterius significata: sicut de Petra diximus. Et ideo in hac oratione: Hoc est corpus meum, necessum est ad id venire, quod supra diximus, ut per pronomen (hoc) demonstretur Christi corpus, quod his verbis efficiebatur. Nam alioqui, verum esse non potest quod ait Christus; Hoc est corpus meum. In hac autem oratione, Petra erat Christus, nulla transmutatione opus est, ut vera sit oratio, quia per eam nihil aliud significatur, quam quod res sacramentaliter significata per Petram, in monte Oreb virga Moysi percussam, sit Christus; quod sermone simplissimo verum est. Sed de his plura diximus superius.

Quo I præsentia Christi in sacramento altaris (quam populus Christianus semper intellexit secundum corpus & sanguinem) versutè transseritur ad præsentiam secundum divinitatem.

#### CAPUT XIV.

**C**apite tuo nono gloriari, quod cum scripta tua cum mea Apologia non ediderim, (malui enim venenatis cibum peritis medicis judicandum relinquere, quam rudi plebi manducandum propinare) tu tamen Apologiam meam, cum tua responsione curaveris excidi, nempe ut eos nostræd spitationis judices constituas, eorumq; judicio victor evadas.

evadas, de quibus ait *Apostolus*, *Quod erit tempus cùm sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros, prurientes auribus; & à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* Caterūm si quis vestrorum meis verbis, que tu venenata reputas, incantetur: nōnne tibi imputabitur, quod absq<sub>3</sub> necessitate, venenum ab alio confectum propinaveris, tantū ut experiaris, ánce per te sufficiens & oportunum contra illud sit adhibitum remedium? Addis etiam, te prudentem pertransire disputationes meas de benedictione & maledictione, deq; straminis vasi impositi similitudine, aliaq; ejus generis permulta: ne confutandis meis inceptiis, ipse te ineptum præbeas. Respondeo, non exiguam esse prudentiā, ea quasi contemnendo præterire, quæ propter nimiam evidentiam, neq<sub>3</sub> argumentis refelli, neque verborum inrolicris possunt obscurari. Ad illud transeo, quod capite sequenti tā acerbis verbis exageras, me versutē ac veteratoriē, Christi præsentiam pro transsubstantiatione panis substituisse. Quod quidem ipsum (inquis) in libri titulo fecisti, sanè quām impudēter. Capite x i. *Apologie meæ sic breviter argumentum tuum retuli:* Christus præcepit, ut quotiescunq; id fecerimus, in sui memoriam faciamus: igitur in sacramento Eucharistiae non est Christi præsentia, sed memoria. Deinde respondi; Christum iūbisse benedictionem, fractiōnem, & sumptionem hujus sacramenti, in sui memoriam fieri: sed nunquid negavit præsentiam, cùm dixit: *Hoce est corpus meum: & His est sanguis meus?* Quia igitur in arguimento tuo non intuli: igitur in sacramento Eucharistiae non est Christi præsentia secundum corpus: sed tantū dixi, non est Christi præsentia: Ideò exclamas, me veteratorie & ver-

sūtē agere, quasi non hoc ipsum satis expresserim cūm subje-  
 ci: nunquid negavit præsentiam, cūm dixit: *Hoc est corpus  
 meum: Hic est sanguis meus?* significans me loqui de Chri-  
 sti præsentia, non secundum divinitatem, de qua nemo vo-  
 bīscum contendit, sed de præsentia secundū carnem & san-  
 guinem. Sane si tunc advertissem, quod nunc adverto, tere-  
 formidare populi judicū, cuius animo ex antiquissima fide  
 impreßum est, Christum in sacramento Eucharistie semper  
 esse præsentem teg̃, hujus dicti intelligentiā de veritate cor-  
 poris & sanguinis Domini astutè, dolosè, veterotorie velle  
 transferre ad præsentiam secundum divinitatem vel secun-  
 dum fidem, sicut ait Apostolus: *Christum habitare perfidē  
 in cordibus, ut populo illudas, qui hanc Christi præsentiam  
 semper intellexerit secundum corpus & sanguinem: ego po-*  
*tiūs ter intulisse, te velle colligere, in sacramento Eucha-  
 ristie non esse præsentiam Christi secundum corpus & sanguine-*  
*m, quam semel omissem, quod nunc exprimo, secundū cor-*  
*pus & sanguinem, ut amputasem tibi occasionem, tam mul-*  
*ta dicendi de Christi præsentia secundum divinitatem, & fi-*  
*dem; de qua nulla quæstio tibi movebatur.* Sed quia tunc  
 hoc non adverto, ideo contra sophistricam & dolosam, ne dicā  
 veterotoriam tuam intelligentiam, minus vigilans fui, sim-  
 pliciter ponens Christi præsentiam, pro præsentia secundum  
 corpus & sanguinem. *Quid autem in titulo libri mei dicas*  
*impudenter per me factum, non intelligo. Sic enim habet ti-*  
*tulus: Apologia de veritate corporis Christi in sa-*  
*cramento altaris. Nullum enim locū reliqui intelligentia*  
*tuæ de præsentia divinitatis. Sed forte male te haber, quod nō*  
*inscriperim apologiam de transubstantiatione, ut relictis*  
*sac. scripture verbis, in quæstione transubstantiationis, pos-*  
*fessimulare cupressum, ad quam tanquam locum commu-*

rem libenter, etiam sine necessitate, recurris. Addis me argutulè cavillari, haud esse facinus, deglutire integrā Christi carnem modò non frangatur aut laceretur. *Hoc dixi nec muto, quod Christum deglutire, imò & frangere, eo modo quo in sacramento frangitur, nec facinus nec crimen est: quia neque occasio est, neq; lesio, quæ occasionis principium est.* Tu autem qui facinus esse contendis, dic cujus mandati sit transgressio deglutire aut etiam frangere Christi corpus, sine iniuria & lesione: facinus enim omne contra aliquid mandatum presumitur. Sed tibi sufficit id dicere, etiam si neque scripturam sacram, neq; orationem possis adducere. Dicis facinus esse deglutire ritu balenæ. Fateor quia balena deglutit ad interimendum, sed si sine lesione deglutiret ad transportandum, sicut navigantem deglutit navis, aut sicut cœte deglutiuit Io-nam, non eset facinus; sed beneficium.

Quod sensus præstigium non patiantur quando substancialia in substantiam insensibiliter transmutatur.

## CAPVT XV.

**C**apite tuo x i. & xii. in verborum campo excursis, & libro tuo prolixam disputationem inseris, de dictis Petri Lombardi, Divi Thomæ Aquinatis, Cajetani & aliorum: Item de sensibilibus qualitatibus, quas dicis à nobis fingi apparere, qua non sunt: velut album, rotundum: in qua res si nihil fingeres, forte religiosior appareres. Itē ca. 13. consumis, negando te significasse possibilem esse Lutheranorum opinionem, de pane remanendo in sacra Eucharistia, cum Christi corpore: de quibus omnibus nihil dico, quia fidei Catholice, non Scholasticorum doctorum suscepimus defensionem.

Ad caput tuū 14. venio, in quo conaris defendere, quod

si panis per verba Christi in Christi corpus convertatur, igitur sensus, qui hoc non advertunt, præstigium patiuntur. Rogavi, an etiam sensus præstigium patientur, quando non advertunt, quod infans in baptismo, ex filio diaboli, Deifilius efficiuntur? sed quia existimas, inter has duas transmutationes, quæ tamen amba insensibiles sunt, nihil esse simile, ob id (ut suspicor) quod in baptismo nulla fiat substantiæ transmutatio, quæ possit cum ea transsubstantiatione comparari, quæ uidetur tibi perpetuo ob oculos versari, adferam alias transmutationes. Rogo igitur. si quis te præsente, sed id sensu non percipiente, moriatur, an sensus tui in hac transmutatione substantiæ præstigium passi dicentur, quia non adverterunt, quod alia ratione postea deprehenditur, nempe ex vivo homine, cadaver inanime factum esse? Intellige igitur sensus præstigium pati, non quādo circa substantias aliquid occultè mutatur, quod sensu non percipitur, sed quando sensibus in suo sensibili illuditur, ut aliud pro alio sentiant.

<sup>1. Cor. 10</sup> Ut ostendas apud Apostolum, cùm ait: Panis quem frangimus, non corpus Christi ex pane factum, sed verum panem esse, qui frangi dicitur: conaris ostendere serpentem in quem virga Moysi conversa legitur, adhuc virginem nominari, non quia ex virga factus est, sed quia magorum virgis comparabatur: quas prætendis re vera in serpentes mutatas non fuisse. Sed si verus serpens propter nudam comparationem ad virgas, quæ sub serpentum specie occultabantur nomine virgæ appellatus est: quanto magis potest idem serpens, virga nuncupari, propter comparationem ad virgam, quæ spectantibus omnibus in illum serpentem est conversa? Et simul ad illud nihil respondes, quod tibi primo loco objeci, dicens, quod cùm tu contendas de panis substantia rectè à Christo dictum, Hoc est corpus meum, tantum quia panis adhibe-

adhibebatur ad significandum Christi corpus, cuius nullam præferebat imaginem: miraris tamen, si Apostolus panem vocet Christi corpus, verbis Christi ex pane factum, & adhuc integrum panis figuram retinens.

*Quia dixeram, in simulacro S. Francisci, relucere imaginem Iesu, ut statim intelligatur, cur hoc simulacrum sanctus Franciscus esse dicatur (quod non minus dicere poterat de imagine Cæsaris, vel simulacro demonis, quam de imagine alicuius sancti) attamen arrepta occasione, statim excursis ad accusationem sacerdotum idolorum, & sacris imaginibus maledicendo te disertum ostendis. Quasi hic aliquid egisset de cultu imaginum, & non potius de sermone, quo in talibus rebus uti solemus, dicentes: Statuam Iovis esse Iovem, quia videlicet res per statuam Iovis significata, Iupiter est. Sed more tuo fecisti, quod audita voce imaginis, hunc locum tuum communem negligendum non putasti, ut tua responsionis chartas, disputatione nihil ad rem pertinente, adimpleres.*

*Quod locus Apostoli: Bibebant de consequente eos petra,  
ad Augustino recte accipiatur de Iudeis, spiritualiter  
utentibus sacramentis illius temporis.*

## C A P. XVI.

*C*apite tuo xv. quereris me locum illū Pauli; Bibebant deconsequēte eos Petra, Petra autem erat Christus, argutula cavillatione pervertere; & contra Augustini, aliorumq; veterum autoritatem de ipso Christo, qui per fidem in eorum cordibus qui bibisse dicuntur, habitabat, interpretari; non autem de incredulis Iudeis, qui sacramenterum duntaxaterant participes. Nisi in Apologia ostendissim, Chrysost. id sentire quod dixi, forsitan illum etiam hic non minasses: sed quia D. Augustinum reliquis suppressis non minasti, audi quid lib. 12. contra Fastum cap. 29. de hac re

1. Cor. 10

dicat. Recitatis enim verbis Apostoli ex cap. 10. prioris ad Corinth. usq; ad hanc clausulam: *Petra autem erat Christus, subjicit verba sua, que sic habent. Exponendo unum, in cetera introducit intellectum.* Si enim Petra Christus propter surmitatem, cur non & manna Christus, tanquam panis vivus qui de caelo descendit? quo vero qui vescuntur, spiritualiter vivunt: Nam illi veteri figuram carnaliter accipientes mortui sunt; Sed cum dicit Apostolus, eundem cibum spiritualē manducaverūt, ostendit illud spiritualiter intelligi in Christo, sicut & potum cur spiritualem dixisset, aperuit cum subjunxit: *Petra autem erat Christus, quo aperto cuncta fulserunt.* Et rursus tractat. 26. super Iohannem, tractans illud; Patres vestri manducaverunt manna in deserto, & mortui sunt. *Quare manducaverunt & mortui sunt?* Quia quod videbant credebant, quod non videbant non intelligebant. Ideo patres vestri, quia similes estis illorum. Manducavit manna & Moyses, & Aaron; manducavit manna & Phinees, & mortui non sunt; quare? quia visibilem cibum spiritualiter intellexerunt, spiritualiter gustaverunt, ut spiritualiter satiarentur. Et infra super illud: *Hic est panis qui de caelo descendit. Hunc panem, inquit, significavit manna; hunc panem significavit altare Dei. Sacramenta illa fuerunt, in signis diversa sunt, sed in re que significatur, paria sunt.* Apostolum audi: *Nolo enim vos, inquit, ignorare fratres, quia patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transferunt, & omnes per Moysen baptizati sunt in nube & in mari, & omnes eandem escam spiritalem manducaverunt; spiritalem utique eandem, nam corporalem alteram, quia illi manna, nos aliud; spiritalem vero, quam nos vel patres nostri, quibus nos similes sumus, non patres illorum quibus illi similes fuerunt.* Et adjungit; *Et omnes*

oēs eundem potū spiritualē biberūt; aliud illi, aliud nos, sed specie visibili quia, tamē hoc idē significante virtute spirituali: Quomodo enim eundem potum? Bibebant, inquit, de spirituali sequente Petra, Petra autem erat Christus. Inde panis inde potus. Petra Christus in signo verus Christus in verbo & in carne. Et quonodo biberūt? percussa est Petra de virgib. Gemina percussio, duo ligna crucis significat. Hic est ergo panis qui de cœlo descendit, sed qui pertinet ad virtutē sacramēti, non qui pertinet ad visibile sacramentū. Hactenus Augustinus: quem manifestū est dictū Apostoli locū intellexisse de iis qui in sacramentis veteribus, per fidē Christum spiritualiter manducabant. Nam cūm dicit Apostolus; Eūdem cibum spirituale manducaverūt, ostendit illud spiritualiter intelligi, in Christo, inquit. Sed & ipse textus Apostoli, nos cogit intelligere quod dixi: habet. n. sic, Nolumus vos ignorare fratres. Igitur fidelib. loquitur, q. fratres appellātur. Quonia patres nostri oēs sub nube fuerūt: fideles loquuntur, fidelū n. patres fuerunt Prophetæ & alii sancti, quorū conversatio in cœlis fuit. Nam fidei illorū credendo sunt imitatores. Igitur de spiritualib. Iudeis loquitur, infidelū autē est dicere sibi patrem super terrā quibus ait Christus: Patres vestri videlicet infideles & increduli, manducaverunt manna in deserto, & mortui sunt; quia non spiritualiter fide intelligendo sacramentum rationē, sed tantū carnaliter vitā temporale sectando manducaverūt. Sequitur, bibebant aut de spirituali, consequente eos Petra, Petra autem erat Christus: qui de se ait apud Iohannem: Qui credit in me, non sicut. Sed ne cogaris per petrā sequentiē, Christū intelligere. (Nam lapis ipse populum non sequebatur) dicit Petram quidem in Oreb virga Moyli percussam, non esse secutā populum, sed aquam de Petra fluentem, quæ per Metonomiam nomine Petræ intelligitur.

Sed quomodo illa aqua sit populum secuta, tu videris: Nihil enim ejusmodi in Numeris habemus. Imò populus obtulit, in Idumaea, pro aquis pretium dare, quod non obtulisset, si aqua petre percussa, populum secuta fuisset, sicut pretendis. Quoniam igitur in D. Augustino quem nominasti, te falsum dixisse compereo; nempe quod locum Apostoli de carnalibus Iudeis accepit, & merito idem suspicor de pluribus aliis, quorum nomina tacuisti: ideo ad textum Apostoli te revoco, & ex illo tibi ostendo, quid me moverit, & quid te movere debuerit, ut istud Apostoli testimonium acciperes, non de iis Iudeis, qui carnaliter tantum, sicut accipiunt quidam; sed de iis qui spiritualiter veteris Testamenti sacramenta percepérunt. Non igitur ego lectoris patientiam tento, aut à proprio sensu verba Apostoli proterve detorqueo, (sicut absq; omniratione mihi improperas) sed tu, quietiam sacris doctoribus, contra apertissima verba textus, andes falsum imponere. Sed objicis maximam eorū partem de quibus loquitur Apostolus, fuisse infidelē, quod illis, in quorū cordibus habitat Christus, tribui nō potest.

Respondeo me fateri quod dicis, maximam partem eorū fuisse infidelem. Sed multum miror te velle de scripturis sanctis differere, & tamen ignorare secundam Ticonij regulam, quae habetur apud Augustinum de doctrina Christ. lib. 3. cap. 32. cui subdit, quod lectorē vigilantem requirit, quando videlicet scriptura, cùm ad alios loquitur, tanquam ad eos ipsos, ad quos loquebatur, videtur loqui: vel de ipsis, cùm de aliis jam loquitur, tanquam unū sit utrorumq; corpus propter temporalem commixtionem & communionem sacramentorū. Et adducit hujus regulæ exemplū ex Canticis Canticorum, ubi ait Ecclesia; Fusca sum sed formosa, fusca in malis formosa in bonis. Item aliud ex Isa. 42. cap. ubi de

*ubi de bona parte dicit: Ducame eos in viam: deinde de alia parte, tanquam de iisdem subdit: Ipsi autem conversi sunt retrorsum, quamvis alii jam significantur his verbis. Igitur si circa dictam Ticonii regulam vigilasses, facile intellexisses objectionis tuae solutionē, quod Apostolus juxta more script. sacrae, in priore quidē capitis sui parte, de spiritualibus Inde- is loquatur: in sequenti vero, de carnalibus in eodem populo, eorum uide m̄j sacramentorum communione existentibus.*

*Quod Petra de qua ait Apostolus : Petra erat Christus, prius Christi sacramentum fuit, quam hoc diceretur: non au- tem panis priusquam à Christo in manus acciperetur.*

## CAPUT XVII.

*C*apite xv i. multa verborum ambitione premisa, ac- ceptas meam confessionem, qua dixi, Hanc sententiā, Petra erat Christus, vel hanc, si usquā in script. sacris repe- riretur, Columba quae super Christū descendit, fuit spiritus sanctus: non sic explicandā: Hac columba significavit Spir. sanctum: vel sic; Hac columba fuit sacramentum spir. san-cti: sed tantum explicandam per hanc sententiā: Id quod per illam columbam fuit sacramentaliter significatum, verè fuit spiritus sanctus: sic, ut non sit figura in voce attributa (spir. sanctus) neg, in copula verbi (est) sed (ut ait) in ipsa voce sub-jecta. Respondeo juxta jam dictā explicationem hujus sen-tentiae, Columba quae super Christum descendit fuit spir. san-ctus: cui similis est: Petra in Oreb percussa erat Christus: non tantum in voce attributa, & in copula sed etiā in voce sub-jecta, nullā omnino fuisse figuram. Ipsa enim subjecta vox, videlicet columba, juxta suę significationis proprietatē, avē notam significat, sicut & Petra lapidem: sed quia haec avis quando super Christū descendit, sacramentaliter Spiritum sanctum significavit: ideo ratione rei per hanc avem signifi- catae

catae, recte dici potuit, quod illa colitur a Spiritu sanctus: Unde Divus Augustinus de Genesi ad litteram libr. 8. cap. 4. dicit, quod in his sententiis: Sapientia est lignum vita omnibus amplectentibus eam: & Petra erat Christus: quibus omnino similis est haec enunciatio: Columba illa que super Christum descendit fuit spiritus sanctus: non erat (inquit) figurata locutio, sed earum rerum expressa narratio, quam numerat figurata processio. Et infra: Recte quippe appellatur, quod ad eam significandam processit. Non igitur est in voce (lignum vita) neque in voce (Petra) vel (Columba) ulla figurata significatio; sed in re significata (de qua in dictis sententiis mentio est) processit quedam sacramentalis institutio, quares ipsa per vocem propriè significata, Sapientiam, Christum, aut Spiritum sanctum significat. Quod autem consequenter ex dictis duabus sententiis congruerter positas, ut haec enunciatio a Christo prolata; Hoc est corpus meum, non explicetur per hanc sententiam, Hoc significat corpus meum; neque per hanc, Hoc est signum corporis mei, ut sit figura in attributo, aut verbo: sed tantum per hanc; Id quod sacramentaliter significatur per hoc quod vobis demonstro, vel per hunc panem, est vere corpus meum; absurdum petitio est, qua exigitur falsa & absurdum hujus propositionis explicatio. Siquidem hujus panis, quem pretendis pronomine (hoc) demonstrari, nulla omnino processit sacramentalis institutio, qua Christum aut ejus corpus significaret, sed ante a tantum res fuit, non signum. Quod qui attendunt facile vident falsam & dolosim esse hanc explicationem a te excogitatem, videlicet. Id quod per hunc panem significatur, est Christi corpus. Hic enim presupponitur, quod quemadmodum Petrus in Oreb percussa, prius sacramentaliter Christum significabat, quam diceret Apostolus,

Petra

Petra erat Christus : sic etiam panis, quem in novissima cœna accepit Christus in manus suas ad benedicendum, prius sacramentaliter institutus fuerit ad significandum Christi corpus, quam ipse Christus benedicens panem, diceret ; *Hoc est corpus meum.* Id quod aperte falsum est : quia nulla præcessit institutio, qua hic panis, quem Christus in suas manus accepit, sacramentaliter significaret Christi corpus, Aut si qua talis institutio sacramentalis præcessit, proferatur, & ex scripturis sacris confirmetur.

Quod confidentia non semper sit argumentum veritatis,  
sed aliquando præsumptionis &  
impudentiae.

## CAPUT XVIII.

**C**apite ultimo responsonis tuae, reficias confidentiam tuam, qua scripta mea cum tuis ausus sis prælo committere, ut mundus de causa judicet. An in hac re instituto tuo congruerter feceris, sicut supra dixi, tu videris. Ego tandem considerans te eadem fronte qua scripta mea cum tuis edidisti, simul asserere, quod quo tempore eras Lovani, videris scripta Ruardi Tappardi eo tatum nomine vetari, quod Calvini rationes interdum fusi, & de verbo ad verbum proposuisse : non magnifico confidentiam tuam. Quia mihi & pluribus aliis quiescus temporis adhuc memoriam retinenter, certò constat falsum esse, quod de scriptis Tappardi te vidisse scribis. Erant enim tunc non tantum professorum sacrarum literarum, sed etiam de consilio Universitatis Lovaniensis, & facultatis sacre Theologie : in quibus consiliis, nulla unquam facta est ejus rei mentio.

Confidentia igitur non semper est veritatis argumentum ; sed frequenter præsumptionis, superbie, & impudentiae testimoniū : qua nonnulli, & præsertim hæretici, constantiore

vultu asserunt quod nesciunt, aut etiam quod dolosè confinxerunt, quam alii quod compertum habent. Quae impudentia in sequentibus adhuc manifestius ostenditur, ubi volens verba meare fellere, quib. dixi, Quod si Catholici principes de vobis aliquid durius statuerūt, quam vestri duces de Catholicis statuūt, id præter rationē non fore. Nunquā enim fuimus quod estis, nec aliquid vobis promisimus, neq; à vobis unquam defecimus, ut vobis hostes efficeremur: vos à nobis, nostra religione, nostroq; principe, contra fidem datam, contra majorū instituta defecistis. Deinde adjeci: Vos vosmetipso Romanæ Catholicæ religioni subtraxistis, & subtraetos Ro. Catholicæ religionis desertores appellastis. Respondes nos bis esse pduelles. Primū quod à Rege ob Hispanorum tyrannidē defecerimus. Deinde fortuna paululum cōmutata, in patriā arma tulerimus, seu, ut infra ait, à vobis quib. eramus arctissimo iuncti foedere & sacramēto, discessisse omnes vident. Deinde etiam addis, perridiculum esse, quod Cath. Romanæ ecclesię vos dixerim esse desertores, eò quod Catholica Ro. nihil aliud sit quam universalis particularis. Si apud Iurisperitos dūtaxat causa hæc ageretur, facilis eset ad tuas accusationes respōsio, quod criminatio (p̄sertim que vos deficiendo à Rege saltē semel perduelles esse convincit) nō sit purgatio. Sed quiam mundo satisfaciendū est, in quo sunt nō solum intelligentes & eruditi, sed etiam rudes & imperiti, qui inter purgationē, & criminationē non distinguunt: Ideo respondeo, nobis, id est, Universitati Lovaniensi, ante adventū Domini de Glabbeke, nihil unquam fuisse propositū, quod ullam à Rege Catholicō defectionem portenderet. Sed cūm is aliquot diebus ante conflictum Gemblacensem venisset

Lovani-

*Lovanium, me præsente, audiente, & simul cum ceteris respondente, Universitati Lovaniensi proposuit, & ad ea responsum accepit: quæ sequenti commentario, ex Actis Universitatis Lovaniensis ad verbum extracta, continentur.*

*A N N O Domini 1578. die Lunæ, 27. Ianuarij hora tertia post Meridiæ in superiore Capitulo sancti Petri Lovaniensis, fuit sub juramento convocata, congregata Vniversitas, cui Magnificus dominus Rector proposuit ea quæ sequuntur. Primo, an placeat acceptare prosuperintendēte custodię & conservationis, ac inde dependentium, oppidi Lovaniensis, Maximilianum de Cottrean, dominum temporalē de Glabbeke, &c. iuxta commissionem sibi datā. Secundo, proposuit Vniversitati, an placeat præstare juramentum, iuxta formulam ab eodem domino Maximiliano propositam, tenoris hic inferius inserti. Super quibus Vniversitas deliberando conclusit, præfato de Glabbeke datum esse responsum in scriptis, tenoris sequentis.*

*A L M A Vniversitatis studij generalis oppidi Lovaniensis, viso exemplo commissionis, que sub data 17. hujus mensis Ianuarij, nobili viro Maximiliano Cottrean, domino de Glabbeke, &c. data est, quo ad superintendantiam custodię & vigiliarum, oppidi Lovaniensis: audita quoque illius propositione, & exactione juramenti in scriptis concepti, sub formula sequenti.*

**I**chi ghelove en zwere ten hepligen / den Coninchl.  
Majesteyt als Hertoge van Brabant / Eerts her-  
toghe Mathias van Oostenrijck / Gouverneur ende  
Capiteyn generael van zynen Nederlanden : Mijn  
Heere den Prince van Graengien / als Gouverneur  
particulier van Brabant / ende Lieutenant generael  
vanden voorschreven Nederlanden: en Maximiliaen

van Cottreau/Heere van Glabbeke/Wassemont/etc.  
als superintendent deser stadt vā Loven / vāden Co-  
mincl. Majestept / en Staten generael daer toe spe-  
cialijck gecommitteert: gehoorsaem/ goet en gherrou te  
zijne: ende met raet ende daet/ līf ende goet te weder-  
staen de verclaerde vpanden van onsen gemeyne Va-  
derlanden/ende de voorsz stadt van Loven. So helpe  
my Godt/ende alle zyn Heilighen/ &c.

*Quod Latine ad verbum sonat. Ego promitto &*  
juro ad sancta, Regiae Majestati, tanquam Duci Bra-  
bantiae: Mathiae Archiduci Austriae, Gubernatori &  
Capitaneo generali suarum inferiorum Provincia-  
rum: D. Principi Auraico tanquam gubernatori  
particulari Brabantiae, & vicem gereti generali pre-  
dictarum inferiorum Provinciarum: & Maximiliano  
van Cottreau, domino de Glabbeke, VVassemont,  
&c. tanquam superintendenti hujus civitatis Lova-  
nienis, à Regia Majestate & Statibus generalibus  
ad hoc specialiter commissionem habenti. me obe-  
dientem, bonum & fidelem fore, & quod consilio  
& opere, vita & bonis resistam declaratis hostibus  
nostrae communis Patriae & predicti oppidi Lova-  
nienis. Sic me Deus adjuvet & omnes Sancti, &c.

*Ex deliberationibus quinque Facultatum conclusit, do-*  
*mino Superintendenti respondendum esse: quod, quo ad re-*  
*ceptionem sue personae ad dictam superintendentiam, hac*  
*res ad Univeritatem non pertineat, cum non habeat dicti*  
*oppidi administrationem & gubernationem, que pertinet*  
*ad Magistratum &c. Et quo ad formulam propositi ju-*  
*ramenti, declarat Univeritas, se existimare, quod sic illud*  
*non possit, nec debeat praesiare: & miratur, huiuscmodi*  
*juramentum ab Univeritate (quod corpus est Ecclesiasti-*  
*cum) prater exemplum exigi.*

*Postridie, die Martis, 28. Januarij, hora undecima ante Meridiem, finita repetitio in utroque Iure, in Scholis Mathematicorum, M. Petrus Peckius, Iuris utriusq; Doctor, in Universitate retulit, quomodo ipse cum eximio domino & M. N. Roberto Malcotio, ac domino Advocato fisci, tradiderit Domino de Cotrcan instrumentum Universitatis.*

*Et ne dicas hec queretuli, fortuna paululum mutata contigisse (jicut respondendo indicas) advertendum est, hec contigisse Lunæ & Mar:is 27. & 28. Ianuarij: Conflictum vero Gemblocensem, postea fuisse commissum, die Veneris sequenti, trigesima prima videlicet, ejusdem mensis Ianuarij. Cumq; die Sabbathi, id est, prima Februarij sequentis, prefatus Superintendentis postularet consensum Universitatis, ad introducendum externum præsidium, pro civitatis custodia: conclusit Universitas respondendum, quod ad se non pertineat ordinare de recipiendo, aut non recipiendo milite, rogans Magistratum, ut si intendat intramittere militem, prius quam id faciat, dimittat omnes de Universitate abire volentes, juxta jus commune, & privilegia ejusdem Universitatis. Et hujus conclusionis data est prefato Superintendenti copia vernaculo sermone.*

*Cumq; secunda February, per dictum Superintendentem & quosdam alios, sub vesperam clandestine in oppidum Lovaniense, introducta essent duo vexilla Scotorum, pro murorum custodia, universitas postridie hora nona ante Meridiem congregata in magno refectorio fratrum Prædicatorum, conclusit, & eodem die in scriptis, praesentie supercriptio Superintendentem, Magistratui conclusionem suam exhibuit, qua conquerebatur inter cives sparsum esse rumorem, quod externum presidium receptum esset de*

consensu Universitatis; cuius oppositum ipsis esset satis cognitum. Et quia jam admissum erat præsidium, Universitas petiit, ut juxta priorem suam petitionem, statim omnibus iudiciosis dareetur potestas discessandi ex oppido. Ad quod respondit Superintendens, se ad hoc nihil posse respondere, ab quoque ordinatione Statuum.

Videsne mi Marnixi, quomodo à Rege Catholicō deficiētes vobis cum perduelles effecti sumus, & quam ardito fœdere ac sacramento vobis juncti fuerimus? Si res habet ut dicas, non debuit sine scripto persici. Profer igitur tabulas initivobis cum fœderis, & propositi juramenti: ut spectante mundo, te expurges à crimen mendacij, quo penè in singulis quæ narras, scatere deprehenderis.

Quod autem addis, perriditulum esse quod ajo, vos Romanæ Catholicæ Ecclesiæ esse desertores, eo quod Catholica Romana, nihil aliud sit q̄ universali particularis: Quid aliud quam impudētia est? cum vos ipsis priores in edito publico, vos Romane Catholicæ religionis desertores nuncupaveritis? Si enim ridiculum est, Ecclesiam aliquam dicere Romanam Catholicam, eo quod Romana Catholicæ, nihil aliud sit, quam universalis particularis: Igitur ridiculum fuit vestrum editum, quod & praconis voce publicatis, & prælo commissum, in mundum universum emisistis: in quo vocatis vos Romane Catholicæ religionis desertores. Aut si tunc aliam Romanam Catholicam Ecclesiam cogitabatis, quam nunc Catholicam dicere non vultis, saltem explicate, quam nunc velitis appellare Catholicam. Nam licet symbolum fidei, unam sanctam Catholicam agnoscat Ecclesiam, tu tamen duas describis Ecclesias: alteram visiblem: alteram, quæ solis Desculis conspicua, electorum numero conineatur: quarum dis-

discrimen me ignorare gloriari. Id quodlibenter agnosco,  
 quia mihi verecundum non est ignorare quod scriptura sa-  
 cra nescit, quod universa scriptorum antiquitas ignoravit,  
 & quod nulla ante vos haeres somniavit. Scribit Aposto- Eph. 5.  
*L*us de vocatione qua vocati sumus, de qua alibi: *Videte vo-*  
<sup>1.</sup> *Cor.*  
*citationem vestram fratres, id est de Christi Ecclesia, unum*  
<sup>1.</sup> *corpus & unus spiritus, sicut vocati estis in una spe voca-*  
*tionis vestrae. Unus Dominus, una Fides, unum Baptizma:*  
*unus Deus & pater omnium. Et tu non tantum duas facis*  
*Ecclesias, alteram invisibilem solis Dei oculis conspicuam,*  
*alteram visibilem, quam definis esse quemvis eorum cœtu,*  
*qui nomen Christi externo ritu profitentur: sed pene innu-*  
*mbras, que in unum corpus coalescere non possunt. Nam no-*  
*men Christi externo ritu profitetur, non tantum Romana*  
*Ecclesia, quam tantopere detestaris, sed etiam universæ ha-*  
*reses, & schismata, que Christianum nomen nondum ab-*  
*jecerunt etiam si diversissimis, & adversissimis spiritibus*  
*inter se conflictentur, & non magis in unum coalescere pos-*  
*sunt, quam Christus & Belial, aut quam templum Dei &*  
*idola. Et tamen has universas cōspirationes, in tua visibili*  
*Ecclesia comprehendis: unde etiam non diffiteris quin Ro-*  
*mana Ecclesia, licet in ea sedeat Antichristus, attamen sit*  
*Ecclesia, & templum Domini, quia Christi nomen, & ba-*  
*ptismatis sacramentum retinet: licet varijs hominū corru-*  
*ptelis adulteratum: hoc est, Ecclesiae Christi tibi sunt, &*  
*Christi regnum (quod tamen sanctum esse dicit Apostolus) 2. Tim.*  
*quacunque aliquam pietatis sp̄ciem Christum nominando*  
<sup>2.</sup> *retinent, etiam si in totum virtutem ejus abnegaverint. &*  
*sicut in Canticis legimus, se quidem propter iniquitatem*  
*nigras dicere possunt, sed formosas à vera pietate non possunt.*  
*Ceterum quod ait symbolum, unam esse sanctam Ecclesiam*  
Cant. I.

Catholicam . ad tuam invisibilem referendum putas , qua vere sit sanctorum omnium communio . Quia enim Dominus novit qui sunt ejus , ideo hanc sanctorum congregacionem , non re quod futurum est in iudicio . sed nunc mente & cogitatione a ceteris separatam , solam , ab hisq; ulla scripturae sacrae testimonio , dicit vis Catholicam . Visibilem autem Ecclesiam non vis credie esse sanctam : & praeferim Romanam , de qua ait , adesse jam tempus , quo Dominus sedem illam magnae meretricis funditus evertat , & suam Ecclesiam ab immani ejus tyrannide vindicet . Sed hanc tuam prophetiam potes conjungere cum prophetia Martini Lutheri hoc expressa versiculo ,

Pestis eram vivens moriens tua mors ero Papa .

*Quia similis erit utriusq; Prophetiae exitus : ut videlicet in tuo desiderio maneat tua prophetia , & effectum alium non habeat : sicut nec a mille quingentis annis habuerunt similes aliorum hereticorum conatus , de quibus in persona Ecclesia predixit Psalmista : Sæpe expugnaverunt me à juventute mea , dicat nunc Israel , sæpe expugnaverunt me à juventute mea : etenim non potuerunt mihi . Supradorsum meum fabricaverunt peccatores , prolongaverunt iniquitatem suam : sed non impleverunt malitiam suam , quia firmum Ecclesiæ fundamentum stat , quod posuit Christus dicens : Tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo ecclesiam meam , & portæ inferi non prevalebūt adversus eam.*

Quod licet Deus pluia contulerit Ecclesia Christiana , quam Iudaicæ ; attamen prefecti in utraq; rectè dij vocantur .

#### CAPUT XIX.

**P**ostremò dicas , me pueriliter cavillari in discrimine Ecclesiæ Iudaicæ & Christianæ , eò quod nunquam statueris , veniente Christo , nihil fuisse in Ecclesiam collatum , quod antea Dominus needū erat largitus .

Respondeo, quod oratio tua, qua de hac re differis, redacta in formam Dialectices, hanc ratiocinationem continet. Ecclesia Iudaica nunquam a sua fuit statuere Deum in terris; sed Ecclesia Romana statuit Rom. Pontificem Deum in terris: Igittur Ecclesia Romana a veritatis doctrina se proterviis avertit, quamquam fecit Ecclesia Iudaica. Quia illatione manifeste significas, Ecclesiam Romanam non posse sibi sine errore statuere, nisi quod sibi olim statuit Iudaica, Non ignorabam in scripturis sacris, Ecclesiae Iudaicae, seu potius Synagoge, prepositos saepissime deos nuncupari, ac deos in terris statui, et nemo eos contemneret. De his n. scriptum est Psal. 46. Dix fortis terra vehementer elevatis sunt. Et 49. Deus deorum Dominus locutus est. Et 81. Deus stetit in medio dcorum, in medio deos iudicat. Et rursus: Ego dixi deus es tu. Exod. 21. Offeret eum diu. Et 22. Dominus domus applicabitur ad Deos. Et iterum: Diu non detrahes: & principi populi tui non maledices. Et quia scriptura sacra, ministros veteris testamenti, i. ministros literae & mortis, saepissime deos vocat, satis intelligebam, prefectos Ecclesie, quos Apostolus vocat ministros spiritus, rectissime posse statuere & vocari deos. Nam se ministratio mortis fuit in gloria, inquit Apostolus, quando non magis ministratio spiritus erit in gloria? Sed ut ostenderem, quod etiam si vera fuissent, que assumebas; attamen argumentando negativè ab Ecclesia Iudaica ad Ecclesiam Christianam, nihil Aristotelice concluderes: monui te, ut adverteres, quam ineptè argumentareris ab ecclesia Iudaica ad Christianam. Ego tamè interim satis sentiebam, te verborum tuorum circuitu, velle significare, quosdam nostrum, non tam veritate quam benevolentia, aut adulacione, præeminentias quosdam Romano Pontifici tribuere, quæ in scripturis sacris non satis clare exprimitur, atque eum inter ministros

novi Testamenti, eminentiorem Deum velle facere, quam scriptura sacra testetur. Pro quibus respondeo, si qui forte tales sint, eos incomparabiliter minus benevolentia peccare, conando eum majorem facere quam est: quam vos, odio & malevolentia, conando id totum abolere quod est. Agnoscite igitur beatum Petrum, ejusque successores Romanos Pontifices, id esse quod Christus eis locutus est, & tunc de latitudine potestatis ac praeminentiarum corum differite: quia quam diu in hoc toti estis, ut ejus potestatem evertatis, facile quivis suspicabitur, vos de potestatis eorum latitudine differentes, non modum potestati velle imponere: sed hoc praetextu, illam simpliciter velle abolere.

I AM secundo à me admonitus, Sanct. Aldegonde frater, magis magisq; declarasti, quam obfirmato animo illis adhaereas, quise Romanæ Catholice religionis desertores nuncuparunt, & acerrimos hostes exhibent. Quò fit ut vehementer timeam, ne & mea admonitio, & totius Ecclesiæ oratio, quæ etiam pro te quotidie ad Deum funditur, tibi in peccatum convertatur. Quia tamen, sicut à principio collationis nostræ, ita & nunc tibi ex animo bene volo, non cessolugere, & a Deo petere, ut quod mea industria non valeo, id sua misericordia præstare dignetur, & meliorem mentem tibi aliquando largiatur. Cui orationi utinam tu aliquando desinas obſtēre.

FINIS.

PHIL.

PHIL. MARNIXII  
SANCTALDEGVNDII  
*Postrema Responsio*

Ad Michaëlis Baij Lovaniensis Academiæ  
Cancellarij Apologiæ defensionem jam  
ante quadriennium editam.

ΑΛΗΘΕΙΑ ΑΔΕΣΠΟΤΟΝ.



PHILIPPVS MARNIXIVS  
 S A N C T O A L D E G O N D I V S  
*Michaeli Baio* S.

**B**IENNIO, ni fallor, antequam Antverpiam in ducis Parmensis potestatem cœsisset, oblatus mihi fuit à Bibliopola tuus libellus, Baï, quem inscripsisti, Apologie defensionem pro responsione ad meas quæstiones. Eum quia leviter percurrēti nihil occurrebat, quod non esset superioribus nostris disputationibus abundè explicatum, & ut ego quidem censeo, firmis atque inconcussis argumentis confutatum, putavi sine omni responsione esse prætermittendum. ne lectori eadem sèpius iterando fastidium pariens, etiam contentionis studio (à quo semper abhorui) viderer laborare. Statuebam enim ex ijs quæ utrinq; à nobis præsertim in hoc de Cæna Dominica arguento dicta essent, non planè vècors ingenium facile posse judicare, ab utrâ parte staret veritas. Abjeceram itaque penitus omnem respondendi cogitationem. Quum ecce jam nuper, ab amicis seriò moneror, non paucos esse qui tum Lovanij tum Leodij alijſque locis palam glorientur, me tuis convictum scriptis tandem obmutuissè, neque posthac audere manum amplius tecum conferere.

Id ego, veritati Euangelicæ, quam sedulò debemus omnes tueri, fraudi esse ratus, sumpsi calumniam in manus & primùm quidem ad marginem cavillos tuos & paralogismos obeliscis adnotatos, brevibus aphorismis confutavi, qui tamen indiculi instar letorum

ctorem ad superiora remitteret, potius quam ut justam responzionem continerent.

Post verò quam proprius tua relegens, animadversi calumnijs pleraque scatere, neque quicquam sinceri aut candidi præ se ferre, veritus, ne posthac iterum dissimulatis omnibus ijs ad quæ lectorem remitteret indiculus, ex brevibus illis aphorismis novam calumniandi ansam arriperes, mutato consilio singula libelli tui capita ordine iterum esse excutienda duxi, & si quæ ampliori explicatione opus habere viderentur, explicanda, in reliquis ad jam ante dicta te remittendum. In quo et si superflua quæque refecando fui certè quam potui brevissimus, quando tamen orationis tuæ filum atque argumētorum seriem persequēti omnino necesse fuit, quæ jam antè satis fusæ dicta erant, etiam cum fastidio nonnunquam repetere, Spero ab æquo me lectore hujus battologiae veniam non ægrè esse impetraturum, quippe ad quā non mea me loquacitas, sed tua vel inuitum rapuit importunitas.

Habes itaque postremam meam ad tuum scriptū respōsionem Bay, quam ego mihi hac lege sum passus extorqueri, ut si posthac rescribens nihil solidius attuleris quam fecisti haec tenus, liceat mihi nulla veritatis cum fraude silentium posthac agere, quando certè non est animus, melioribus & magis necessarijs occupationibus intermissis, toties jam coctam ac recoctam hanc tuam cramben iterū devorare, in quo ut lectorem habeam æquiorem, volui superiorem omnē nostram disputationē unā cum datis utrinque literis in unum cōiectam volumē simuledere, ut ex ijs

ijs omnibus inter se collatis de veritate fiat judiciū.

Itaque veniamus ad rem. Atque initio quidem aīs postremam meam ad tuam Apologiam responsio- „  
nem, cuius tibi exemplar Anno 83. decima Martij „  
Antverpia tandem allatum est, multis & quidem lō- „  
gissimis parergis ad rem nihil pertinentib. suffultam „  
fuisse, ut videlicet partim omissis, partim obiter dū- „  
taxat commemoratis plerisque & quidem prēcipuis „  
disputationis capitibus parum ad rem dicendo ali- „  
quid dixisse, & libello tuo viderer respondisse.

Hæc tu parerga si nominatim singula percēsēndo commonstrasse, vel certè meā illam tam imtēpesti-  
vam (ut vis) responsionem in lucem emisisses, pote-  
ras apud homines non planè stolidos, fidem fortasse  
tuam tueri, & viri etiam boni existimationem præ-  
stare. Nunc autem cùm uno verbo hæc omnia nihil  
minus quād demōstrata involueris, & meā omnem  
responsionem suppresseris, vide ne quis non obesæ  
naris lector te existimet ejusmodi aētu meorum ar-  
gumentorum pondus voluisse declinare ac proinde  
cavillandi studium bona fide atque existimatione  
habuisse antiquius.

Etenim quæ tu parerga esse criminaris, quianihil  
habes solidi quod opponas, cordatus quivis ac pius  
lector totius non immeritò disputationis cardinem  
esse statuerit.

Quiritaris tu quidem quòd Lateranense vestrum  
concilium vestrosq; Thomas tum Aquinatem, tum  
Cajetanum de transsubstantiatione disputantes dili-  
gētiū excusso tibi objecerim, quasi nihil ad te per-  
tineat iij, quos tu sententiæ tuæ testes minimè accer-  
sivisti.

svisti. Hujus autem mei consilij gravissima isthæc & faculenta mihi constat ratio.

Equidem vel illos Catholicæ vestræ romanæ fidei summos atq; ~~etiam~~ esse Dictatores sum suspicatus, vel quibus tandem tabulis hæc fidei vestræ Romanæ tam abstrusa continerentur mysteria nunquam potui intelligere.

Nos etenim statuimus, universalem salutis per Christum nobis partæ doctrinam, Prophetarū atq; Apostolorum scriptis ita absolutè cōtineri, ut nulla planè de capitibus religionis ne fangi quidem possit controversia, quæ illis ipsis modò ut inter se diligenter collata examinētur, nō facile dirimatur. Ac proinde in omnibus omnino disputationibus, quæ quidem ad fidei articulos creditu necessarios pertineat, solo illorum iudicio ac sententia standum esse.

Vos econtrā si quando authoritate scripturarum sentitis, arctius vos premi, quām ut effugiu pateat, soletis à scriptura plerumq; ad Ecclesiæ authoritatē provocare, & quæ tum Prophetarum tum Apostolorum scriptis ne judicari quidem confitemini, pro Apostolicis tamen traditionibus nō minus superciliosè quā importunè nobis ingerere, Ac nescio quæ arcana Eleusines mysteria per manus, ut vultis, tradita, vel ad nauseam usque ingeminare.

Horum si produci archiu postulentur, saltuatim nunc ad Pontificij pectoris scrinia, nunc ad conciliorum sanctiones, interdum ad Patrū homilias, interdum ad temulenta monachoruni insomnia, sæpè ad commentitia anicularū miracula, sæpè ad Scholasticorum spinosas recurritis argutias. Et tamen si ex illis

illis ipsis quorum videtur vobis fides esse sacrosancta, quidpiam nos adducimus quo dogmatum vestrorum manifestam absurditatem commōstremus, cōtinuò audimus haud esse illa Catholica totius Ecclesiæ, sed particularia hominum priuatorum scripta, quorum fide atque autoritate astricti nequam teneamini. Ita nihil est in quo pede cominus fixo manum conseratis.

Quare quod ego jampridem te per Deum immortalem obtestatus sum, mi Bai, idem hīc iterum quam possum obnixissimè contendō, ut cogites nos in divini Iudicij luce versari, ac proinde omissis illis diverticulis, vel quos objicimus vestrorum dogmatum architectos ac testes semel ac perspicuè ejeres, aliosque qui vestras istas traditiones atque Ecclesiæ Catholicæ dogmata certius & meliori fide tradiderint, commonstres, vel certè quæ ex vestris istis Archivis testimonia producimus, perspicuè & sine tergiversatione comprobemus, ut multiplicis hujus lernæ caput tandem aliquod agnoscamus, & qua sit secundum securi statuere possimus. Ecclesiam quidem vestram Catholicam haudquam errare posse perpetuò inculcatis. Et tamen quibus tandem tabulis, quibūsve regionum cancellis tam mirifica isthæc & indubitata contineantur oracula non potestis expere-  
dire. Concilii certè Lateranensis authoritatē vobis esse sacrosanctam, inficiari tibi fuerit religio. Quinetiam illius unius decreto transubstantiationis doctrinam & institutam esse, & stabilitam, et si tu dissimulas, pleriq; certè scholastici vestri Doctores con-  
fitentur. Quod si tamen quærimus an illius concilii  
sen-

sententia quam in Decretorum canones pontifices vestri retulerunt, omnem hanc litem dirimi velitis, sentimus cuniculos à vobis agi, & istius tam sacri, & tam œcumени, ut vultis, concilii vel fidem elevari, vel aperta & significantissima verba cōtortis & violētis interpretationibus eludi. Hoc n. illud est quod „ ipse ille decretorum vester glossator vocat sanè in- „ telligere, ut ne in majorem quām ipse Berengarius „ habuit hæresim, prolabamur.

Thomam deinde Cajetanum an nō inter Catho-  
licę istius vestrę vel primarios Doctores agnoscitis? fuit n. (ut scis) & theologiæ professor & generalis totius ordinis Prædicatorum magister, & post etiam presbyter Cardinalis, ita ut summa ejus inter vestros istos romanenses Catholicos fuerit authoritas sanctissimaq; fides, adeò quidem ut concilio etiam lateranensi sub Iulio secūdo interfuerit. Et ejus scri-pta in scholis nō aliter quām pro oraculis habeātur.

Atqui extat hujus grauiſſimum ſimul & veriſſimū hoc testimonium de conuerſione panis in Christi corpus doctrinam, nullo Euangeliū apice declarari, Sed Ecclesiæ, ac Pontificum, & præſertim prioris cōciliī Lateranensis authoritate ſtabilitam retineri. Et verò etiam de exiſtentia corporis Christi in Eu- charistiæ ſacramento nihil haberi in ſcriptura præter verbum ſalvatoris dicentis; Hoc eſt corpus meum, quod æquè tamē per metaphorā omnibus omnino ſacramētis uſitatissimam poſſet explicari, niſi Eccle- ſia romana juſſiſſet propriè & corporaliter intelligi.

Et hanc quidem veriſſimam ejus ſententiā, etiam Scotus vester quem propter ſingulare ingenii acu- men

mē soletis subtile appellare, videtur apertè cōp̄basse.

Tu verò quid ad hæc habes quod respōdeas Bai? Ais parerga esse , & nihil ad te pertinere . Quid ita? quia scilicet neque tu ipse illa commemoraris, neq; cūm scires eorum authoritate me minimè commo- veri, ullum ex iis testimonium produxeris.

Quasi verò mihi fuerit vel nefas aliquid producere, quod ipse non commemorasses , vel sperādum te esse adducturū ea quibus cōmentitiæ tuæ trans- substantiationi videres poplites ac nervos incidi.

Sed si meministi , erat nobis in Christi verbis de scripti sententia disceptatio .

Ego aiebam , quum certa constaret & pia ac non modò ad fidei omnes articulos , sed ad ipsam etiam sacramenti naturam & analogiam accommodatissima interpretationis ratio, nihil esse causæ, cur tu illa posthabita, Christi verba in alienam , impropriam, violētam , & omnibus omnino sacramentis inusitatam expositionem ( quæque nisi adsutis miraculorū commentitorum cētonibus posset constare, ) quasi obtorto collo per vim traheres. Nec n. esse miracula pro nostro arbitratu configenda , ut citra doctrinam scripturarum sententias nostras mordicus retineamus.

Hoc tu quidem postremum sive ex animo , sive simulatè confessus , contendisti tamen , quia verba Christi non possint aliter esse vera nisi hujusmodi miraculis fulciantur, ideo fidem Christianam illa nō debere averfari , Et relicta hypothesi quæ inter nos controvertebatur in confirmanda illa thesi , de qua nemo Christianus unquam dubitavit, Quod nimirū

e Christo

Christo credendum sit, adductis Abrahami & aliorum fidei exemplis laborasti . At verò quis nescit omnis naturæ ac totius machinæ mundanæ ordinē potius esse solvendum, quām ut Christus qui est ipsa Dei veritas, vel minimi mendacij, quantumvis tenui suspicione insimuletur? Itaque non hoc tibi, sed illud erat probādum, haud posse verba ejus aliter esse vera, nisi ejusmodi aliena interpretatione, quæ tam absurdā miraculorum portenta secum traheret , explicaretur .

Nam si constaret alio quovis modo verborum Christi veritatem posse consistere , videbas te causa penitus excidisse.

Atqui non potes Bai pernegare , quin à me planissimè ostensum sit , ea ipsa verba & ad generalem fidei , & ad particularem sacramentorū analogiā explicata , non modo vera esse , sed etiam perspicua, clara , & ad id quod habet sibi Dominus in hoc cœnæ mysterio propositum significantissima , & ad omnes denique circumstantias , omnemq; tum antecedentis , tum consequentis orationis seriem accommodatissima.

Et tamen ne ullus tibi restaret tergiversationis locus , ostendi etiam clara & liquida doctorū vestrorum sententia commodiūs & verius per sacramentalem tropum ea potuisse explicari , quām ut ad corporalem , & portentosam istam transsubstantiationem restringerentur; nisi una illos Ecclesię Romanę commovisset authoritas. Quam certè confessionem quum eis nulla neque contendendi libido , neque animi intemperies, sed una manifestæ veritatis vis etiam

tiam invitis extorserit , demiror equidem maluisse te hoc misero effugio lectori fucum facere, ut dices parerga hæc esse omnia, quām veritati manifestæ locum dare . Hoc si est candidè & Christiana fide agere , quod vel maximè theologiæ professorem & quidem Cancellarium decebat, tua ipsius conscientia testis esto.

Mox addis , me in Philosophicæ quæstionis obscuritate volutari, qua in Aristotelis categorijs quæri solet, quid sit per se & immediatè divisibile ; substantiæ corporea, an magnitudo seu quantitas ? Sed amabo te , mi Baj , an censes ita stupidum esse terrarum orbem, ut non sentiat, ex vestris transsubstatiationis dumetis istas esse enatas spinas ? Nos. n. tanquam scopulos ejusmodi omnia refugimus; et quia cum Paulo panem esse , qui frangatur decernimus, ejus generis argutijs opus nō habemus . Veritatis n. quam ex sacro scripturarū fonte haurimus , simplex & plana est oratio . Vos ut beatum istum ex Iovis vestri Tarpeij capite prognatū partū tueamini , hæc sunt extruenda Palladia. ac proinde vestri libri hisce disputationum spinis à capite ad calcem toti scatent, quæ si à nobis interdum attinguntur , id eò fit , ut ex ipsis latebris in arenā vos extrahamus , non ut veritatis Euangelicæ lucem ( quod vobis solet esse familiare) disputationum sophisticarum caligine obscuremus .

Eodem aīs pertinere quod per multas paginas adnixus fuerim persuadere Romanam ecclesiam humanis & superstitionis traditionibus Deum colere : nostram autem (ut vocas) societatem nō nisi ex Dei

præscripto . Hic tu iterum collige te paulisper , mi  
Bai , & quibus tandem strophis lectorem ludifices,  
quæso propius expende. Improperar~~as~~, nos esse Ro-  
manæ Catholicæ religionis desertores : Respondi,  
nullam planè religionem vel doctrinam, si à doctri-  
na, & præscripto Apostolorum dissentiat , Catholicam  
dici jure posse : cùm nemo nesciat unicam re-  
ligionem & doctrinam Apostolicam verè Catholicam &  
dici debere, & censeri. Ac proinde si ad hujus  
doctrinæ Apostolicæ lapidem Lydiuni, fides vestra  
& religio examinata penitus discrepet, nostra autem  
pulchrè per omnia cōsentiat : Romanæ nos quidem  
vcstræ Ecclesiæ desertores haberi forsan posse, at  
verò Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ desertores  
car dicamus, causæ nihil esse.

Atque exinde porrò tum ex ritu Sacramentorum,  
tum ex universa colēdi Dei ratione ( in qua religio-  
nis omnis cardo præcipue consistit) planissimū feci  
vestram omnem religionem , vestrosq; ritus à Ro-  
manis pontificibus longo post Apostolorū extatē  
intervallo inventos , & varijs ac infinitis traditioni-  
bus interpolatos penitusq; deformatos vel vestra ip-  
sorum confessione à prima illa antiquissima & ge-  
nuina Apostolorū simplicitate longissimè recessisse:  
nostros autem ritus omnes atque universam colēdi  
Dei rationem , quæ in ecclesijs nostris observetur  
referre ad amissim eandem illam, & quidem puram  
putam simplicemq; religionem, quæ ab ipso Christo  
instituta, ab Apostolis tradita , à prima illa & anti-  
quissima fidelium ecclesia recepta , à vobis vestrisq;  
pontificibus penitus difformata, tandem post multa  
secula

secula singulari Dei beneficio, quasi jure postliminij restituta fuit. Atq; ex eo effeci, non nos, qui primam illam & simplicissimam ac verè catholicam religionem ad primum archetypum revocatam in nostris Ecclesijs restituerimus: sed vos, qui eandem illam infinitis vestris traditionib. interpolatam antiquaveritis, veræ Ecclesiæ Catholicæ veros esse desertores. Ad hæc tu omnia nihil planè respondes, nisi quod uno verbo ais esse parerga; quod quidem certè quā sit intempestivū vides. Et tamē ne fortè lector nesciret quid parergi nomine censeri velles, voluisti in tua isthac oratione manifestissimum parergi extare exemplum.

Longè n. ab instituto discedēs, in avia nescio quę & sinuosa de consilijs, ut vocas, Euangelicis, diver- verticula te proripis, ex quibus fœdas monachorū haras bonus architectus excites, easq; perfectissimæ immortalis Dei legi, quæ perfectissimā à nobis exigit charitatem, quam nemo unquam mortalis, uno Christo homine excepto, præsttit, cucullatorū tuorum regulis, quasi minus perfectam, posthabeas. Et tandem congestis in Auraicæ principem ejusq; sanctissimam conjugem, quæ jam tum in Domino pri- dem obdormierat, putribus convicijs, à pecuina illa porcorum tuorū castitate, cuius votis impurissimis & Deo, & suæ conscientiæ & universo terrarū orbi petulanter illudunt, non magnopere te abhorrere fidem facis.

Itaq; his omissis ad rem venimus.

Capite secundo, objecisse me tibi ais, quòd cùm contineret libellus tuus atrocem & convitij plenam

criminationem, nullum tamen cōvitium tuum protulerim. Ea tu ne scripseris vigilās an somnians haud satis possum statuere? pessima certè fide scripta esse scio. In ipso enim libri mei propè frontispicio queror, quod libellus tuus apologiæ nomine inscriptus sit atrox & cōvitij plena criminatio, & quasi pro tribunali promulgata sentētia, qua me impietatis, doli, perfidiæ , atquæ hærcfeos damnatum, in infernum præcipitas. & in calce iterum ipsissima hæc verba re-  
peto. Deinde varijs nos criminationibus perfidiæ,  
fraudum, perjurij , perduellionis , hærcfeos & sacri-  
legij, pro theologica tua modestia & fraterna chari-  
tate reos agis. Hæc omnia ad verbum convitia, una  
tuę apologię pagina 59. disertis verbis extant præter  
alia & quę atrocia quę per omnem libellum instar  
flosculorum fusim sparsa sunt. Et tamen tu hīc affir-  
mas neque me convitium ullum tuum protulisse ,  
neque te tibi consciū esse, quod ullum in me con-  
vitium dixeris. Hoc verò quid aliud est, quām af-  
firmare quod vulgo ajunt ; *Ns intra est oleam , nil  
extra est in nuce duri?* Illud unum fateris te mihi ob-  
jecisse ; & quòd damnatum sequar Calvini dogma  
de Christi corpore in sacramento altaris , & quòd  
nomen meū inter Catholicæ Romanae Ecclesiæ de-  
sertores profitear : Ad quod posterius me addis ne  
verbum quidem respondisse , in quo iterum ambi-  
guus hæreo , ecquid statuendū sit, delirans ne hęc an  
oscitans scripseris. Primū quidē propterea quod  
non ignoras vos uno isto Luteranismi quod nobis  
objicitis crimine , atrocissima quęq; scelera & flagi-  
tia omnia solere cōprehendere; ac proinde illo con-  
cesso

cessò non possis cōvitium inficiari, etiam si nihil eorum quæ modo attigi nominatim percensuisses. Deinde quod ne dissimulare quidem potes ea quæ paulò antè improverasti, me multis paginis loquaciter & mordaci ac odiosa oratione esse persecutū, huc omnia spectare, ut ad posterius illud criminationis tuæ caput respōderem, Nos nimirum etiamsi Catholicam, Romanam vestram Ecclesiam deseruimus, haud propterea veram Catholicam & Apostolicam Christi, sed Catholicam apostaticam Romanam Antichristi ecclesiam deseruisse. quæ quidē haud reor opus esse hic repetere, cum à pagina 60. libelli mei usque ad paginam 66. diffusè explicétur: Tantū rogo ut posthac memineris veteris dicti quo ajunt, *Mendacem memorem esse oportere.*

Sequenti capite ais, me magno fremitu adversum te insurgere, propterea scilicet quod egerim Deo gratias, qui me tam tyrannico, quod in conscientias exercetis, imperio liberarit, et multis verbis ostendis haud esse tyrannicum, errantes & malè agentes corripere. Hujus ego disputationis lectorem facio judicem, si quis unquam vel vidit, vel fando accepit, quid Theologica isthæc inquisitorum superciliosa nos nostrumque caput & fortunas hactenus statuerint, & quid posthac etiam statuere sit illis in animo, nisi tantum hunc furorem à nostris cervicibus Dominus avertat.

Quartò ais, quæstioni meæ plura continent plures te dedisse ac distinctas responsones. Ex quo vis natam querelæ meæ absurditatem. Ego verò jam ipse luculéter me explicavi, & manifestissimè ostédi

nihil mihi fuisse propositum in ea quæstione , quam  
ut ex te audirem , quoties Ecclesiæ authoritatē no-  
bis obijcitis quo ~~zurrgis~~ non ipsam illam Ecclesiam ,  
(scimus n. ex voce pastoris agnosci oves ) sed ejusdē  
doctrinam,fidem, cōstitutiones seu traditiones pu-  
tatis esse trutinandas . Statuebam n. planè quemad-  
modum quod olim ad patres locutus est Dominus  
per Prophetas id ex Prophetarū scriptis erat eruen-  
dū : ita quod postremis temporibus locutus est per  
filium, id esse ex ipsis filij doctrinā , quam ab ejus  
Apostolis , & Euangelistis luculenter explicatam &  
scripto consignatam esse uterque nostrum confite-  
mur,peti debere . Tu si quod aliud habebas ~~zurrgis~~,  
id verè,clare,& sine ambagib. erat exponendū , & ex  
istis tuis sophistices nebulis aliquando emergendū.

De Aristotele quem denuò falsò objicis,nihil ad-  
dam,habes n. luculentam responsonem pagina 70.  
& 71.ad tuam Apolog. responsonis.

” Affiras deinde,noluisse te Ecclesiasticas consti-  
” tutiones ex sola scriptura dijudicadas. Primùm,  
” quia tibi erat propositum dissimulatis cæteris quæ-  
” stionibus de sola Ecclesia differere,quam me dispu-  
” tationem multis modis ais refugisse : deinde, quòd  
” tanta sit Ecclesiasticarum cōstitutionum varietas, ut  
” non videantur omnes ex eodem capite dijudicadæ.  
” Illud quidem,& importunè & malitiosè . Hoc verò  
” proflus impiè & pharisaicè.

Importunū n. est & versutum, quod me in culpa  
esse vis , propterea quòd non inierim tecum dispu-  
tationem de quæstione quam ex mea responsonē  
intellexisti minimè inter nos controverti . ita enim  
scripsi:

scripsi: Quantum itaque ex tua seu potius Augustini,,  
responsione possum conjicere , omnino ita sentis,,  
unicum ecclesiasticarum traditionum ~~regit~~, unicū,,  
lapidem Lydium atque indicem esse verba Domini,,  
nostrī Iesu Christi tradita sacrę scripturę disertis pa-,,  
ginis &c . Et paulo post, In hoc ego tibi per omnia,,  
planissimè assentior. et quę sequuntur. Cūm itaque  
nullam inter nos ea de re putarem esse controversiā,  
non erat cur in contentionem tecum venirem.

Pr̄sertim cūm in mea ad tuam epistolam respon-  
sione ita conclusissem. In summa; Hoc inter nos cō-,,  
veniat ; doctrinæ Apostolicę & Propheticę cui soli,,  
innixa est Ecclesia , judicium omne ad sacram scri-,,  
pturam esse revocādum, omniaq; omnium vel patrū,,  
dogmata, vel conciliorum decreta , vel pontificum,,  
placita , vel scholasticorum axiomata non aliter esse,,  
recipienda, nisi quatenus huic scripture sint consen-,,  
tanea . Sed quia metuebam ne in responsionis tuę  
obscuritate , qua de constitutionibus Ecclesiasticis  
loquebare, aliquid minus sincerum delitesceret; ad-  
didi, postremum tantum Epistolę tuę caput, de cō-,,  
stitutionib . Ecclesię, vellem paulò dilucidiūs expli-,,  
casses, Ais n. ubi regnum agnoscitur, non posse ne-,,  
gari constitutiones . quod certè libenter damus; sed,,  
simul addimus , ab ipso rege in quovis quidē regno,,  
constitutiones debere proficiisci, & quę in eam sen-,,  
tentiam plura sequuntur: Iis cūm tu ne velles quidē  
omnino contradicere, quod jam fateris ; quid erat  
cause cur ego in eam venirem disputationem, quam  
tu hīc ( nescio qua fide ) aīs me, et si səpiùs provoca-  
tum, refugisse? Ego sanè, mi Bai , haud oblector cō-

tentionibus à Paulo edoctus, ubi sit animorum consensio, ibi esse Christum, ac proinde cùm te in eo fidei capite, quod uterque statuebamus esse omnium controversiarum cardinem & fundamentum, haberem assentientem, non injuriā demiror hanc animi tui impotentiam, qui mihi culpæ tribuas, quod noluerim contentiosius de re inter nos confessa disputare, Etsi videris id facere potius ut Horatio, quām ut tuæ satis facias conscientiæ. Cū n. ne verbo quidē de tua me mente commonefecisses, nisi quod generatim dixeras te videre non deesse in quibus adhuc conferre deberemus, ad Horantium diligenter & studiosè explicasti, hoc unū fuisse illud de quo mecum tibi erat animus pertractare. quod cum ad me propriè non pertineret; nihil habebam causæ cur nova suscepta disceptatione, cōtentioñis me studiū esse facerem lectori suspicionem. Quod itaque sophisticam mihi hīc objicis, facis mala fide, præser-tim cùm scias hoc te quasi proprio elogio jampridē ornatum, audire Lovanij solere, Sophistarū patrem.

Sed quod addis, tantam esse Ecclesiasticarū con-stitutionum varietatem, ut non videantur omnes ex eodē capite dijudicādē: et si hoc habes cōmune cum Pharisēis, haud planē tamē aberras à vero. Est n. pro-cul dubio tanta inter vos & tam immensa traditionū varietas ac multitudo, ut Pharisaii fermenti tumorē sua mole facilē supereret. Etsi est nobis de solis ijs cō-roversia, quarum fide ac πληροφορία Ecclesia collecta conservetur, seu quæ ad salutem tum creditu, tum observatu sunt necessarię. quod ut intelligeres, con-junxi de industria in mea quæstione de εγιτηρίᾳ, Ec-clesiam

clesiam cum suis cōstitutionibus seu traditionibus, ut quasi per epexegetin significarem de illis me solū constitutionibus quærere, quarum fides Ecclesiam ipsam constituit & quodammodo informat. De ritibus enim adiaphoris quiq̄ue vel ad publicam honestatem, vel ad evitandum scandalum, vel denique ad ministerij munus ritē atque ordine obeundum instituti pro temporum, locorum, ac personarum ratione variari possunt, & antiquari, ac proinde ad fidei πληροφοριαν, & ad ipsam Ecclesiæ constitutionem informatione inq̄ue minimè spectant, non est instituta quæstio. De illis autem prioribus si pridem dixisses ex varijs esse capitibus dijudicandas, nā tu facile sensisses me istam disputationem, quod gloria-  
ris, nunquam subterfugisse.

Sed vah quale est hoc tuum de traditionibus Ecclesiasticis judicium. Ais eas quæ certo & in di-  
vinis litteris sacrato numero jejunia præsentant ex Gal. 4,  
sacris esse scripturis. Mirum, ni ex illo Pauli loco ad seq.  
Galatas: Quomodo convertimini retrorsum ad im- „  
potentia & egena elementa quibus retrorsus ab in- „  
itio servire vultis, Dies observatis, & menses, & „  
tempora, & annos, Metuo de vobis ne frustrā fati- „  
gatus sim apud vos, aut fortè ex illo ad Colossem. Collos.  
ses: Itaque si cum Christo liberi estis ab elementis 2, 20, „  
mundi, cur ut viventes in hoc mundo ritibus one- „  
ramini. Ne attigeris, ne gustaris, ne contrectaris, que „  
omnia ipso usu pereunt præscripta ex mandatis & „  
doctrinis hominum, quæ rationem quidem habent „  
& sapientiæ in cultu voluntario, & submissione animi, „  
& in eo quod corpori non parcant, non tamen ul- „  
lius

„ lius sunt pretij , quum ad ea spectent quibus farci-  
„ tur caro .

Aliud certè ex scripturis sacris testimonium nun-  
quam produces , quo tuam istam jejuniorum rato-  
dierū numero præscriptionem stabilias, cùm Paulus

*1. Cor.* apertè doceat, neque cibum , neque externos ritus

*8.8.* nos Deo commendare . nisi fortè nos voles ad Iu-

*Rom.* daicæ legis umbras relegare; quod te minimè factu-

*8.17.* rum reor , quippe qui non ignores nos ab illis per

„ mortem Christi in libertatē esse vindicatos, deleto

„ jam & cruci affixo quod adversum nos erat rituum

*Gal.2.* chirographo .

*14.* Quod verò ex rectæ rationis judicio elicis prohi-  
bitionem hæreticorum librorum; extra rem vagaris.  
Eam n. esse penitus arbitriam & politicam , cuius  
vel observatione , vel violatione conscientiæ Chri-  
stianæ minimè lèdantur , manifestius est quām ut  
indicari debeat.

Quod si igitur hanc rectam rationem in ijs quæ  
ad ordinem, honestatem , ac decorem constituendū  
pertinent putas esse adhibendum: haud habebis nos  
repugnantes. Iam n. diximus, illa esse arbitraria. Sed  
nihil faciunt hæc ad nostram questionem. Sin autem  
in salutis doctrinam , vel fidei aliquod caput , quod  
scripturis sacris minimè comprehendatur traducen-  
dam eam esse statueris, næ tu cum Paulo , & cum u-  
niversa Scriptura ex diametro pugnaveris , pronun-  
tiante passim Spiritu sancto, humanam rationem in  
*Rom.* rebus divinis prorsus cæcutire.

*8.6.* *1. Cor.* Sed quale tandem illud est , quod tu ad salutaris  
*3.14.* doctrinæ negat̄, nescio quas Apostolicas traditio-  
nes

nes vis adhiberi, quas etiam gloriosè vēditas me tibi  
 integras & intactas reliquisse, cūm tamen eas ipsas  
 designare videaris de quibus ait Apostolus ad Thes-  
 salonicenses: Tenete traditiones, quas didicistis sive  
 per sermonem, sive per epistolam nostram. An verò  
 tu hīc non vides Paulum nullas planè alias traditio-  
 nes designare, nisi quas ipse, alijque Apostoli primū  
 quidem viva voce Ecclesijs tradiderunt; mox, ut &  
 veritas τῶν πατεροφορημένων rectius, certiusque agno-  
 sceretur, & memoria simul ac posteritati consultum  
 esset, πάσιν ἀκριβῶς ἐπακολουθήντες ἐφεξῆς ἔρεψαν, ac pro-  
 inde, cū ille ipse traditiones nihil sint aliud nisi pura  
 puta Euāgelij doctrina ab ipsis Apostolis tum voce,  
 tum scripto tradita: omnino frustra hæc à te in duo  
 dispesci capita? cūm plane unum sit & idem. Paulus Letter  
confu-  
lat to-  
 n. ipse ad Thessalonices eo quem citas loco, sui tū il-  
 ipsius est optimus & certissimus interpres. Postquā Ind ca-  
 n. fictas pseudoprophetarum revelationes graviter pus &  
jude-  
ces.  
 castigasset, & ab omni porrò nova hominū doctri-  
 na novaque traditione sive illa per spiritum sive per  
 epistolam, seu denique per sermonem tanquam ab 2. Tess.  
2, 13.  
 Apostolis acceptum traderetur, serio ac studiose eos  
 revocasset; agit Deo gratias, quod eos elegerit ad „  
 salutem per sanctificationem spiritus, & fidem habi- „  
 tam veritati, quō illos vocarat per suum euangeliū, „  
 ad obtinēdam gloriam Domini nostri Iesu Christi. „  
 Atque ex hoc ipso statim infert, Nempe igitur per „  
 state & tenete traditiones, seu tradita vobis dogma- „  
 ta, quæ sive per sermonem, sive per epistolam nostrā „  
 edoceti estis: aperte indicans nullas se alias traditio- „  
 nes designare, nec in Ecclesiam recipi velle, nisi quas  
eos

eos ipse suo Euangelio ad obtinendam Christi Do-  
*Gal. 1.* minigloriam tū voce tum scripto edocuerat . Planè  
*8.* quemadmodum ad Galatas: Etiam si nos, aut ange-  
 „ lus è cœlo vobis Euangelizet , præter id quod vobis  
 „ Euangelizavimus, vel quod à nobis accepistis, Ana-  
*Col. 2.* thema esto. et ad Colossenses: Sicut accepistis Iesum  
*6.* Christum dominum, ita in eo incedite utens verbis  
 „ λαβεῖς & παραλαβεῖς, que quidem cum verbo παραδοῦσαι  
 „ converti, nemo est qui ambigat. Eodem planè sensu,  
*Cor.* quo ait ad Corinthios: Accepi à Domino quod &  
*11.* tradidi vobis , quod quidem in omnibus epistolis  
 propè importunè inculcat, ut nimirum spretis & re-  
 jectis hominum, quovis seu angeli, seu Apostoli, seu  
 denique spiritus divini titulo, sese ingerentiū tradi-  
 tionibus & doctrinis , quas ait plerumq; consistere  
 in rebus ad corpus & carnem spectatibus, in quibus  
 exigū sit emolumentū , in Euangelijs semel tradita  
 doctrina constanter persistent. Suis n.istis traditioni-  
 bus, quas Euágelij nomine insignit, ex diametro op-  
 ponit omnes ιδεοθρησκίαes, & hominū traditiones, cō-  
 mentitiasque revelationes , quas ex Ecclesia procul  
 esse abjiciendas contendit, quacunque tandem spe-  
 cie sapientiæ aut submissionis fucatæ obtendantur.

Ex eo igitur si, vestras illas Pontificum Romano-  
 rum ut pietatis inanissimas, ita blasphemiarum omne  
 genus plenissimas ιδεοθρησκίαes, & multis post Apo-  
 stolorum ætatem sæculis inventas traditiones voles  
 stabilire , quid aliud egeris , quām quod manifestè  
 prodideris , Primum quidem, te spiritui sancto ni-  
 mis procaciter & petulanter illudere , qui quod ille  
 maximè cavendū jubeat, id tu ex totidem ejus ver-  
 bis,

bis, per vim contra mentem detortis, maximè cōtentas esse faciendum?

Deinde nimium te perficitæ frōtis esse, qui quod unum sit totius nostræ disputationis *xpivōμενος*, id unū non modò pro cōfesso arripias, sed pro uno ac præcipuo tuę argumentationis firmamēto statuas, quo certè nihil potest esse impudētiūs, nihil in omni disputationi genere flagitiosius.

Etenim quia videmus vos nescio quas nobis Apostolicas perpetuò inculcare traditiones, quas pro ipsa pastoris voce, aut certè pari dignitatis gradu in ovile Christi per vim & quasi per fenestras intruditis, quia nos illas non modò apostolicas traditiones esse pernegamus, sed etiam impias ut plurimū esse superstitiones, parati sumus ex verbo Dei ostendere: ideò volumus apertè nobis & clarè explicari, quo tandem firmamento tum istæ traditiones, tum universa vestra doctrina fulciatur: Tu hīc actum agens respōdes; niti traditionibus apostolicis. Ita circulum nectens quæstionem per ipfam quæstionem resolvis.

Sed dices fortassè distingui à Paulo traditiones ab Epistolis, quasi verò Pauli doctrina vel tantillum ab ejus epistolis discreparit, vel à doctrina epistolæ? Eph 3 Cùm & ad Ephesios testetur, sese salutis mysterium omne quod postmodum Apostolis & Prophetis per spiritum fuit revelatum, & quò totum illud Euāgeлизandi munus, quod sibi erat commissum, referri debet, scripto comprehendisse. & ad Corinthios profiteatur, nihil se non modò docere, sed ne scire quidem voluisse præter Christum crucifixum in

in quo omnem Euangelij doctrinam contineri inculcat. Sed urgebis per distinctivā copulam *et ut*, qua hīc Paulus utitur, à scriptis traditiones ita separari, ut inde colligi possit non omnia scripto complexum esse. Quod si verum esset, omnino & ex ejusdem particulæ disiungentis vi posset inferri, Ne viva quidem voce omnia Paulum quæ ad salutem pertinerent tradidisse. eadem est n. utrobique hujus particule vis & ratio, & tamen hoc vel tuo ipsius judicio est absurdissimum. Sed quis nescit qui vel à limine sacras litteras attigit, hanc particulam *et ut*, plerumq; usurpari pro copulativa, ut cū idē Paulus ait, omnia per Christū esse recōciliata sive in celo sive in terra, & alia ejusmodi infinita. Deinde ut planè dederimus ex hac particula consequi, Paulum haud omnia quæ ad salutem pertinerēt una illa epistola ad Thessalonicenses complexum esse: An propterea efficies, nealij quidem ejus Epistolis illa esse comprehensa, cūm videoas tam multa illum in Epistolis ad Corinthios explicare, quorū in ijs quæ ad Thessalonicenses sunt inscriptæ, nullam planè faciat mentionem? Et verò etiamsi & hoc concederim, ne reliquis quidem ejus epistolis omnia tradidisse quæ ad salutem essent necessaria: ecqua tamen tu legitima ratione consequere, ne reliquos quidem Apostolos & Euangelistas suis ea scriptis comprehendisse, sed in pectoris Pontificii scrinio relictas esse nescio quas traditiones Apostolicas quas ipsi illi Apostoli & Euangelistæ suis libris omnino vel noluerunt vel non potuerunt explicare? Vidēn quibus fulcris & fundamentis tuxæ istæ nitantur structuræ? Tu tamen cōfidenter

fidēter & pro Theologico tuo supercilio, ut assoles,  
 gloriaris, Bene se habere quod has vobis traditiones  
 integras ego & intactas reliquerim: in quo non mo-  
 do contra disputationis leges, quod ostendi, peccas:  
 sed etiā cōtra veritatē. Nam hæ tuę traditiones qua-  
 lescunque tandem sint, profectò si non continentur  
 sacra scriptura, at certè à Pōtificibus Romanis in no-  
 vum illud vestrum decretorum Euangeliū, vel certè  
 in conciliorum sanctiones relatæ sunt, vel denique  
 scholasticorum scriptis continentur. Et si que sunt  
 (ut est vestrarum traditionum immensa quædam &  
 innumerabilis multitudo) quæ nullo planè scripto  
 contineantur, at certè non potes diffiteri, quæ illæ  
 ipsæ saltem cōsuetudinis titulo, quem ego omnium  
 primū in mea questione posuerā, comprehendendi pos-  
 sint. Ac proinde vanissimè jactitas nullo meæ divi-  
 sionis membro esse comprehensas.

Quod autem etiam Ecclesiæ judicium addis tibi  
 à nobis manere integrum; nescio an fatis sanus sis.  
Quæ primus n. quibus tandem tabulis Ecclesiæ judi-  
 cium de fidei ac doctrinæ capitibus innixum stare  
 debeat. Hic tu, si ad Ecclesiæ judiciū nos ablegabis,  
 quid aliud ages, nisi quod idem per idem demon-  
 strando, planè te nihil nisi meras nugas effutientem  
 ostendes fastidiosè nauseare.

Sed amabo te, Ecquod tu mihi tandem Ecclesiæ  
 judicium in fidei aut doctrinæ capitibus dabis, quod  
 non vel sacra scriptura, vel aliquo concilio, aut Pon-  
 tificis decreto, aut patrum testimonio, aut certè lō-  
 ga consuetudine fulcitum esse videri velis? Horum  
 enim si nullo prolato, ad Ecclesiæ tamen judicium

appellaris, etiam in Lovaniensi tua schola, Magistel-  
lorum sibilis & calcitratu explodetis. Itaque cum tu  
in Ecclesia cōstitutiones esse debere statuas, omnino  
restat, ut semel explices, primum quidem à quo ferri  
hæ constitutiones & sanciri debeant, ut ab Ecclesia  
statutæ esse censeantur, à capite ne an à membris, à  
sponso & marito an à sponsa, à pastore ne an ab ovi-  
bus, à rege denique ne an à subditis. Et postquam  
semel jani sancitæ fuerint, quomodo deinceps vel  
possint vel debeant promulgari, scriptis ne & do-  
ctrina, Apostolorum atque Euangelistarum, an Ro-  
manorū Pontificum in canones relatis sanctioni-  
bus, an synodalium decretorum tabulis, an vel pa-  
trum, vel scholasticorum disputationibus, an om-  
nino sine ullo scripto tacita tantum & per manus  
accepta traditione & consuetudine? Hoc n. postquā  
edifferueris, facile animadvertes nihil à me in mea  
divisione prætermissum, neque tibi quippiam inte-  
grum esse relictum, quo te possis venditare. Sed ob-  
secro te mi Bai, an nō erubuisti, cùm scriberes quod  
quia Christus jusserit ad Ecclesiam deferri, eum qui  
identidem monitus, & jam sèpius castigatus in pec-  
cati perstet contumacia. Et si Ecclesiam non audierit  
esse pro Ethnico & publicano habendum. Ideo etiā  
in fide & doctrinæ capitibus (hæc enim sola inter  
nos controvertuntur) Ecclesiæ judicium pro ~~κριτη~~  
sit adhibendum? Quale n. est hoc ratiocinationis fla-  
gitium? à castigatione peccati, quod in confessio sit  
peccatum esse, ad fidei articulum, de quo sit contro-  
versia; nectere argumentum?

Et tamen tu tam argutus ratiocinator mihi etiam  
ridiculam

ridiculam, & omni responsione indignam cōnexio-  
nem, audes confidenter obijcere , propterea quod  
ex Augustino collegi, omnes omnino quæstiones ad  
scripturam sacram esse examinandas , quia id ille di-  
xit de quæstione qua quærebatur, ubinam esset Ec-  
clesiæ corpus, ipse impedio magis ridiculus, qui vel  
nescias, vel dissimiles Augustinum non unam istam  
quæstionem, sed omnes planè quæcunque ad fidei  
fundamentum spectant, ad scripturæ trutinam sem-  
per & ubiq; revocare, et si ex mea oratione facile ap-  
paret, me nō propterea solum id collegisse, quod eo  
loco Augustinus ita sentiret , sed quod ipse tu ad  
meam quæstionem (qua ut saepius jam repetivi, ge-  
neratim de Ecclesiæ fide & doctrina loquebatur) ni-  
hil aliud respōdisti, nisi quod teste Augustino Ec-  
clesia quidem ex solis scripturis esset petenda & di-  
judicanda, Constitutiones verò negari minimè pos-  
sent, ubi regnum agnosceretur, &c. Ex quo nō ego  
solus, sed ipse etiam tuus Horantius intellectus, tum  
ipsius corporis Ecclesiæ , tum ejusdem doctrinæ ac  
traditionum, que quidem ad Ecclesiæ fidem infor-  
mandam pertinerent, Iudicium omne sacriss, & qui-  
dem solis scripturarum oraculis à te deferri. In eo si  
ridiculus fuit noster error, certè non à nobis, sed à te  
ipso profectus videri potest:

Quanquam si quis veritatem ipsam nullo animi  
morbo præpeditus diligentius attenderit, is planis-  
simè cernet non ridiculum esse hoc, sed planè solidū  
atque inconcussum ex Augustino argumentum :  
Quod ut intelligas accipe breviter totius nostræ  
causæ statum seu ~~re~~ xegiopem , & patere me in hoc

parergū divagari, si quidem parergum tibi est disputationem omnē ad ipsos fontes revocare: Nos itaq; censemus, ex quo in Ecclesia verbū Dei pro unica & certa fidei doctrinæ ac traditionū norma defiit haberī, & in eorum vicem qui hoc ipsum verbum ritè secarent, irrepsere in Christi ovile non muti tantū canes, sed graves etiam lupi gregi minimè parcentes (quod prædixerat Paulus) qui pro verbi doctrina mutos ac sibi similes Idiotarū magistros in templis erectos, substituerent, factum esse Iusto Dei iudicio, ut jam, jam instantे illa ἀποστολή, de qua Thessalonicenses monuerat Paulus, se simul paulatim extolleret homo ille sceleratus ὁ ἡδε τῆς ἀπολογίας oppōnens & efferēs sese aduersus quicquid dicitur Deus aut numen, uti erat à spiritu sancto disertis verbis prædictum. Is igitur in templo Dei jam sedens tanquam Deus, & se Deum in terris palam nominans, pro Ecclesiæ Christi capite, sponso ac legislatore ἀνπιστοῦσα & vero etiam pro regū rege, ac totius orbis Domino ore nefario sese vēditavit, & Christum Iesum, folio quoad in se fuit deturbatum, omni tum regis, sponsi, & capitatis Ecclesiæ, tum summi sacerdotis, unici Mediatoris ac servatoris, tū deniq; summi doctoris ac pastoris munere ac dignitate, non quidem verbo & externa specie, sed rei veritate, spoliavit, excitato novo pro peccatis λύτρῳ ac sacrificio, novis sacerdotibus novisque & quidem infinitis intercessoribus, quorum dignitate ac meritis aditum nobis in cœlum suis clavibus patefaceret, & pro sacro sancto illo & nunquam satis celebrato Christi in cruce adpensi sacrificio, fœdissimas missarum, indul-

dulgentiarum, meritorum, bullarum & commētitij  
denique ignis purgatorij nundinationes exerceret.  
Ita cultum omnem Dei evertit, ac in hystrionicam  
gesticulationem commutavit, animas Christi san-  
guine redemptas ab ipso redemptore ad homines  
demortuos, quos ipse in Deorum retulerat numerū,  
ad nescio quos sacrificulos, omne genus sceleribus  
coopertos, ad mutas & inanimes creaturas murmu-  
re magico sacris devotas, ad muta denique & faxea  
idola, & hominis manuum opus impie avertit. Bre-  
viter, pro vero Christo ludicum nobis & inane ido-  
lum substituit.

Hujus dum atrocissimæ impietatis ac defectionis  
reum illum ex scripturis canonicas agimus, ille quia  
se videt neque scripturas posse populo ē manibus,  
(quod summopere semper fuit adnixus,) excutere,  
neque lucem illam veritatis in suas tenebras com-  
modè detorquere; nescio quas nobis obtrudit à  
majoribus suis per manus (ut ait) acceptas tradicio-  
nes, quas etiā pro Apostolicis ipse Dominus, scilicet  
**Apostolicus**, seu potius **Aostaticus** vēditat, quibus  
& se omnium in orbe Christiano controversiarum  
summum esse Iudicem jactet, atque horrendas illas  
suas blasphemias & sacrilegia tueatur.

Has ille traditiones Ecclesiæ Dei (cujus scilicet  
ipse sit caput ac legislator) mandata esse pronunciat,  
à quibus qui vel latum recedat unguem, ignibus &  
in hoc sēculo & posthac in ēternum devoveatur, iis  
ipsis, quasi quibusdā furijs, Principes ac reges Chri-  
stianos in populos sibi subjectos & in innocuum  
Christi gregem, imò in Christum ipsum Dei filium

atque unicum Ecclesiæ sponsum & caput furiosè ac  
terculenter armat.

Nos h̄ic quando nobis nullum tribunal in terris  
datur, in quo non ipse ille qui tam horrendi sacrile-  
gij reus agitur sedeat iudex, ad Christi judicium  
provocamus.

Est itaque nobis non de vulgari aliqua traditione  
disceptatio, sed de illis universim omnibus quibus  
Christum illum unicum Ecclesiæ Caput, Sponsum,  
Regem, Sacerdotem, Mediatorem, Intercessorem,  
unicum denique Servatorem populo ereptum esse  
querimur, ac proinde de ipso capite Ecclesiæ Chri-  
sto omnis est nostra controversia.

Quod cùm ita sit & Augustinus in eo quém cōtra  
Donatistas de unitate Ecclesiæ inscripsit libro, unū  
suæ disputationis substruat hoc fundamentum, ni-  
mirum Christū & caput & corpus, in solis scripturæ  
canonicæ oraculis esse querēdum, Non video equi-  
dem ecquid nos ita ridiculum admiserimus, quando  
ex eodem illo fundamento conclusimus, omnes il-  
las traditiones, quibus Christum caput Ecclesiæ tolli  
contendimus, ex ipsius capitinis verbis ac testificatio-  
ne dijudicari debere.

Postquam n. in eo libro dixisset Augustinus, Nō  
„ audiamus, hæc dico, hæc dicis, sed audiamus, hæc  
„ dicit Dominus, Sunt certè libri Dominici, quorum  
„ authoritati utrique consentimus, utriq; credimus,  
„ utrique servimus, ibi queremus Ecclesiam, ibi dis-  
„ cutiamus causam nostrā, paulò post hæc verba sub-  
„ jungit: Totus Christus caput & corpus est, caput, u-  
„ nigenitus Dei filius, & corpus, ejus Ecclesia sponsus  
„ & sponsa,

& sponsa, duo in carne una, quicunq; de ipso capite , „  
à scripturis sanctis dissentunt, etiam si in omnibus „  
locis inveniantur in quibus Ecclesia designata est , „  
non sunt in Ecclesia . Et rursus quicunque de ipso „  
capite scripturis sanctis cōsentient, & unitati Eccle- „  
sie non communicant, non sunt in Ecclesia, quia de „  
Christi corpore quod est Ecclesia, ab ipsius Christi „  
testificatione dissentunt, verbi gratia, Qui non cre- „  
dunt Christum in carne venisse de virgine Maria ex „  
semine David, quod apertissimè scripture Dei lo- „  
quitur, aut non in corpore ipso resurrexisse, in quo „  
crucifixus & sepultus est, etiam si per omnes terras „  
inveniantur per quas est Ecclesia, non utique sunt in „  
Ecclesia, quia ipsum caput Ecclesiae nō tenent, quod „  
est Christus Iesus , nec in aliqua divinarum scriptu- „  
rarum obscuritate falluntur, sed notissimis & aper- „  
tissimis earum testimonijis contradicunt, &c. quod „  
quidem paulò post ita concludit . Ille nempe caput „  
Ecclesiae est unigenitus filius & verbum Dei, & ideo „  
nec prophetæ sancti vera loqui potuissent, nisi ab ipsa „  
veritate, quod est verbum Dei, manifestaretur eis „  
quod dicerent, & juberetur ut dicerent . Proinde „  
prioribus temporibus per prophetas sonuit verbum „  
Dei, deinde per seipsum qm̄ verbum caro factum „  
est, & habitavit in nobis, deinde per Apostolos quos „  
misit ad se prædicandū, ut esset salus usque ad fines „  
terræ. In his igitur omnibus quærenda est Ecclesia. „  
&c. Hactenus Augustini verba, ex quibus manife- „  
stissimè liquet . primum quidem ipsi capiti Christo „  
eum nullam tribuere vocē, nisi eam ipsam quæ pri- „  
mū per prophetas insonuit, & demum per Apo-

stolos non tacita per manus traditione derivata, sed  
Canonicis consignata libris ( quod quidem s<sup>e</sup>pius  
ab eo repetitur) ad nos pervenit. Deinde ex hac una  
voce omnes de Christo, & non minus de capite quā  
de corpore controversias esse decidendas, cū eadē  
utrobique sit consideratio, eadem connexionis ne-  
cessitas, imò etiam longè gravior & solidior existet  
ratio in ipso capite, quod est Christus, ex ipsius capi-  
tis testificatione quærendo, quām in ejus corpore  
quod est Ecclesia. non modò quia corpus à capite  
dependet, & omnem ab eo dignitatem mutuatur,  
verū etiam, quia illud ipsum periculum cuius pr<sup>e</sup>-  
cipuè evitandi gatia non humanis documentis, sed  
divinis oraculis sanctam Ecclesiam Augustinus pu-  
tat esse demonstrandam, nimirum quod vēturi sunt  
qui dicant: Ecce hīc Christus, Ecce illic, multò certe  
gravius est, si caput amiserimus, quām si aberrave-  
rimus à corpore. atqui huic periculo hoc unum ad-  
hibet peritus medicus remedium, ut pastoris vocem  
„ audiamus. Præmunire, inquiens, voluit aures no-  
„ stras adversus eos, quos præcedentibus temporibus  
„ exsurrecturos esse prædixerat & dicturos, Hic est  
„ Christus, Ecce illic, quibus nē credamus admonuit.  
„ Nec ulla nobis excusatio est, si crediderimus contra  
„ vocem Pastoris nostri tam claram, tam apertam, tam  
„ manifestam &c. Quæ sunt oves meæ vocem meam  
„ audiunt, & sequuntur me. Ecce vox ejus clara & a-  
„ perta, hac audita qui eum non sequitur, quomodo  
„ se ovem ejus dicere audebit? Nemo mihi dicat:  
„ quid dixit Donatus, aut quid dixit Parmenianus aut  
„ Pontius, aut quilibet eorum? quia nec Catholicis  
Epis-

**E**piscopis consentiendum est, sic ubi fortè falluntur, „ ut contra Canonicas Dei scripturas aliquid sentiat, „ &c. Ex quo apparet, si de ovibus judicium omne est ad vocem pastoris referendum, multo majori ratione ipsum judicium de Pastore haud aliunde peti debere. Nám etiamsi Augustino nulla tum temporis intercederet cū Donatistis de ipso pastore, vel de capite Christo, cōtroversia, sed de corpore tantum, nimirum Ecclesia, ac proinde æquum esset illum sua argumenta ad institutum suum accommodare, Generale tamē hoc axioma pro indubitato fundamēto proponit, Nimirum, quoties vel de capite Christo, vel de ejus corpore, quæ est Ecclesia, ambigitur, toties esse ad sola in divinis libris comprehēsa oracula recurrentum.

Quanquam quid opus est verbis? cùm jam non modò de ipso capite vobiscum sit nobis dissensio, sed de ipso etiam corpore? Nam ut ex Augustino audivimus, quicunque de ipso capite à scripturis sanctis dissentiant, in Ecclesia utique censeri nō possunt, ac proinde cùm vestræ traditiones pro unico capite & sponso Christo, suum nobis P̄tificem, sub vicariatus larva, substituant, & Christum ipsum, qui Christus esse planè nequit, nisi sit unicus servator, mediator, intercessor, & unicus denique summus sacerdos, nobis eripiant. Omnino non possunt, qui ejusmodi traditionibus fidem habent, in Ecclesia locum obtinere.

Est igitur etiam nobis de corpore Ecclesiæ questio, ac proinde in verbis capitilis sui, non vestris traditionibus illa quærenda est, teste Augustino. Nisi

fortè velis quam ille pastoris vocem in una circumstantia multitudinis vel paucitatis Ecclesiæ quam pro temporum ratione variari posse, & jam variatam esse, ex Apostolorum prædictionibus experientia comprobatis constat, pro firmamento causæ suæ adhibuit, eandem nos in toto ac perpetuo Ecclesiæ fundamento constituendo non adhibere, quod quām sit absurdum ipse tuesto Iudex. Tu tamen hoc nostrum argumentum præ te tulisti & ridiculum esse & responsione indignum. Credo quidem hoc consilio, ut ne si responderes in putidum illud atque angustum diverticulum, tandem recipere te cogereris quò vestri Lovanienses Theologi in suis ad Augustinum annotationibus configurerunt, ubi generale hoc Augustini axioma restrinxerunt ad excludenda tantum quædam humana documenta quæ utrinque ad causæ disceptationem tum à Catholicis, tum à Donatistis producta fuisse, capite secundo ipse Augustinus commemorat. Quæ quidem etsi prudenter ac piè jubareremur removeri, ita tamen id facit, ut simul etiam reliqua omnia quæcunque ab hominum dependent authoritate, procul arceat & in uno scripturarum canone penitus acquiescendum esse statuat. Quod quidem paulò post manifestissimè demonstrat, cùm ab illis documentis, longè diversa Donatistarum proferens argumenta, ita eis respondet: Legite nobis hoc ex divinis oraculis quod profectò legere non potestis. & mox, Restat igitur ut non ex divinis libris, sed ex vobis ista dicatis. Proinde dignissimè, respondebitur, Anathema fitis,

is, Tenent enim Ecclesiæ Apostolico labore fundatæ, cum quanta cura sibi prædictum sit, Si quis vobis Euangelizaverit, præterquam quod accepistis, anathema sit.

Quod cùm adversus particularem Donatistarum objectionem de nova in Collofensibus semente facienda producat, nemo non videt & universale esse hoc axioma, doctrinæ Christianæ confirmationem ex solis prophetarum & Apostolorum libris esse petendam: Ac proinde neque tuum, mi Baj, effugium, neque illud quod modò commemoravimus Theologorū Lovaniensium sophisma quicquam obstare, quominus & nos hac Augustini obtestatione aduersus vos meritò utamur; Remotis ergo omnibus talibus Ecclesiam suā, demonstrent, si possunt, non in sermonib. & rumorib. Aphrorum, non in concilijs Episcoporū suorū, non in litteris quorumvis disputatorū, nō in signis, & prodigijs fallacibus, quoniam etiā contra ista verbo Domini præparati & cauti redditis sumus, sed in præscripto legis, in prophetarū prædictis, in Psalmodiis cantib. in ipsis Pastoris vocibus, in Euangelistarum prædicationibus & laboribus, hoc est in omnibus canonicis sanctorum librorum autoritatibus, &c. Hæc enim ipsa vobis etiam esse totidem verbis dicta scito, & dōhēc remotis vestris traditionum & successionū nānijs, ex ipsis istis que hīc perspicue & clare ab Augustino commemorantur archivis Ecclesiam vestram demonstraveritis, omnino hoc ipso Augustino Iudice & authore, Anathema nobis eritis. Venio nunc ad reliquam tuam disputationem.

Capite quinto, miror te cramben illam tuam , de dupli intentione, jam decies coctam ac recoctam, iterum nobis ingerere , cui tamen ita luculent- ter respodimus , ut neque quicquam proferas novi, neque nostras rationes aliter refellas , nisi quod di- cas à me multa congeri sophisticè, quod quidem est eludere non refellere argumenta.

Tu quidem perpetuo nobis occinis loquentium intentiones posse diversas esse , etiam si voces idem significantes usurpentur . Atqui jam saepius ostendi neque quicquam hoc ad rem facere , & tamen si fa- ceret , causam tuam nihil penitus juuare . Sed bene habet quod tandem veritatis vi convictus, rotundè fateris intentionem illam quam Christo assingis, fa- ciendi ex pane suum corpus, ejus verbis minimè sig- nificari, quod etsi haec tenus musitasti, nunquam ta- men clare & sine ambagibus confessus es. Nunc au- tem quoniam planissimè pagina 15. lin. 22. pag. 16. lin. 24. pag. 17. lin. 14. pag. 19. lin. 22. confiteris ver- bis à Christo prolati nihil tale significari , quid re- stat nisi ut vestrum sit commentum, ac proinde cum Augustino concludamus esse Anathema.

Video te quidem novam latebram finalis inten- tionis huic commento astutè obtendere , sed nihil juuat, omnino enim necesse est, hanc finalem inten- tionē ex ipsi scripturę significatibus verbis probes.

Producis exemplum enunciationis de reguli sa- nitate , sed jam vidimus longè illic diversam esse ra- tionem , & tu perpetuo in eo hallucinaris, quod ex- ternæ vocum enunciationi vim eam tribuis, quæ in Domini voluntate ac virtute tota consistit, ea autem volun-

voluntas cùm exprimatur vocum signis atq; enunciationibus, haud profectò ex illis ipsis aliud intelligere possumus, nisi id ipsum quod exprimunt. Tu itaque etiam si mille tibi intentiones somniando fabricaveris easque unâ eademque enunciatione exprimi contenderis, nullam tamen sanis capitib. persuadebis, aliam, nisi illam ipsam quam verba significant. Cùm itaque disertè fatearis, hanc intentionem mutandi panem in corpus, verbis Christi nequaquam significari, quid est cur nobis illam, ita importunè & protervè obtrudis? Tu enim disertis verbis fateris vtrumque te dicere, videlicet in his verbis, Hoc est „ corpus meum, servari propriam & genuinam omnium vocum significationē, & his verbis significari pag. 11. illud ipsum quod voces propriæ sumptæ notant. Et „ tamē etiam Christum simul intendisse facere, quod „ verbis illis non quidem fieri, sed esse designatur, „ quam quidem intentionem verba ipsa non significant &c. Quod si igitur hæc verba ejusmodi intentionem nō significant, iterum atque iterum tibi affirmo, humanum igitur esse commētum, ac proinde mendacio obnoxium.

Quod n. existimas quia verba significēt esse corpus, ideo rectè concludi intentionem Christi fuisse ut faceret suum corpus; haberet quidem aliquā veritatis speciem, si liqueret haud alia ratione posse veram esse Christi enunciationem, quemadmodum video te existimare, & tamen utique fateri necesse esset, eam enunciandi rationem neque propriam esse neque usitatam, sed propter defectum ejus, quod subintelligendum esset, necessariò per tropum aliquem

quem explicandam , sed jam luce meridiana clariū ostensum est, nulla nos eò necessitate cogi, sed contrà, circumstantias omnes ejusmodi coactam interpretationē penitus evertere . Quare cùm tu hīc ipse confitearis , finalem istam intentionem quam à loquente extra verborū significationem vis cogitari, non ex verborū significatione , sed ex alijs circumstantijs intelligi debere , cur non potius me ad ipsas rei circumstantias, quām ad inanes istas & commentitias cerebri tui imaginationes, revocas ?

Sentis nempe si ad circumstantias verba examinarentur , continuò omnem istam vestram transubstantiationis machinam esse corruituram.

Nemo n. non videt omnes planè circumstantias à nobis facere , nam & agni Paschalis exemplum , & omnium reliquorum sacramentorum natura, ratio , ac perpetua analogia, & ipse institutionis finis, nimirum Christi memoria ejusque mortis annuntiatio, Et variata nonnihil verborum ab Euangelistis recitatio, &c . Pauli ipsius explicatio , Et panis & vini acceptio , fractio , exhibitio , ejusdemque à Paulo iterata post consecrationem repetitio , & Apostolorum , qui in quibusvis alijs minimis nutare solebant, indubitata assensio , & ipsius linguae Hebraicæ seu Syriacæ communis & notissimus usus , & omnium fidei articulorum pulcherrimus consensus , & ipsa veri corporis quod habuit Christus , ratio ac natura , & omnium sensuum ( quos in corporis exploranda natura consuli Christus ipse jussit ) iudicium & infinitorum contra naturæ ordinem miraculorum commentitiorum declinatio, & omnium penè

penè veterum in primitiva Ecclesia unanimis cōsen-  
sio, planissimè ostendunt, ea verba omnino esse ve-  
rissima, sed in signo ac sacramento posita, ac proinde  
sacramentaliter, id est, modo sacramentis omnibus  
usitato, debere explicari. Dicis tu quidem hanc quā  
nobis obtrudis finalem intentionem transsubstanc-  
tiandi, Etsi Christi verbis non significetur fuisse, ta-  
men à loquente Christo cogitatam. Sed quando de  
occulta, & cogitata quidem, sed nullis verbis signi-  
ficata mentis intentione disputatio est, an non cen-  
ses multò æquiùs eam à Christo ipso explicante peti  
debere, quām à vobis eandem ex vestro cerebro di-  
vinantibus? Christus enim, si quæris quæ sit ejus  
in his verbis mens atque intentio, sine ambagibus  
illam exprimit, inquiens, Hoc facite in mei memo-  
riam. Mnemosynon igitur, seu memoriale docet  
à se institui, non rerum substantias permutari.

Nam si quis alias ijsdem illis verbis, vel planè si-  
milibus usus esset, nemo est sanæ mentis homo, qui  
ullam aliam ex illis intentionem, vel sup' picando vel-  
let elicere. Etenim si quis ex hac vita demigras, ima-  
ginem, vel aliud quodpiam symbolum amico re-  
liquisset, dicens hoc esse suum corpus, vel vul-  
tum vel sese ipsum, haud est quisquam usque adeo  
insanus qui ex illis verbis ullam substantiarum me-  
tamorphosin fabricaretur: & tamen si quis for-  
tasse usque adeo amens foret, qui verba illa eò re-  
ferri debere contenderet, idem si audiret insti-  
tuentem illud symbolum, apertè declarare, mentem  
suam esse, ut id fiat in sui memoriam, Quis nō videt  
jam nullum amplius obscuritatis scrupulum in ejus

ora-

oratione restare posse?

Nulla igitur vel verborum significatio , vel circumstantiarum ratio cogit nos à plena, facili, atq; indubitata sententia ad abstrusam hanc, & sola mente cogitatam, & commentitiam ac portentosam intentionem divertere .

Iterum deinde inculcas pronomine, hoc, minime demonstrari panem , quem Christus manu tenebat: sed ipfissimum suum corpus , & ex eo cōcludis certum igitur esse & evidens , quod dixeras manente eādem vocum omnium significatione enunciationē aliquām alia & alia intentione dici , & fœdissimam istam tuam principij petitionem ( quod enim tibi pernēgamus, id ex alio capite, quod multo etiā magis negamus, tanquam ex cōfesso probas ) etiam ex dialectica vis videri petitam , quia scilicet propria demonstrativorum pronominum significatio sit ipsa demonstratio , cūm ne verbo quidem possis ostendere, à Christo ejus corpus fuisse demonstratum: sed panem fuisse acceptum, fractum, exhibitum , & denique demonstratum, omnes uno ore testentur Euangelistæ , & Paulus etiam multo post verborum recitationem, affirmatè testetur esse panem.

Quiritaris perpetuò me duplēcē tuam intentionē velle cōfundere. Tibi certè, mi Bai, in tuis verbis duplēcē esse intentionem etiam , non jurato crediderim, nec enim possum mihi persuadere ita te præjudicata Romani pontificis sententia constrictū teneri, ut non scias acsentias, unam Christi intētionem in hac verborū recitatione fuisse , ut suæ mortis memoriam vel symbolum , in pane nobis relinqueret,

queret, & per panis fractionem nos in sui corporis (quod est in cœlo) communionem (uti docet Paulus) colligeret, sed hanc tuam mentis intentionem cogitare tu quidem potes, sed quia sine periculo verbis nō potes significare, tūtius fortasse existimas, sub dupli intentione delitescentem sententiam tuam occultare, quod Abrahamum fecisse jam plus decies inculcasti: Sed in Christo, qui est planissima & simplicissima Dei veritas, tale quidpiam vel levi cogitatione imaginari, nobis est religio. Quare cū tu in hujus disputationis calce, aperte doceas Christum dicentem, Hoc est corpus meum: nec dixisse, nec verbis explicasse intentionem faciendi, quod tu eum facere voluissē comminisceris, nihil est quod nos incredulitatis coarguas.

Quod enim addis, eum cōsiderata ejus omnipotētia & veritate illam intentionem discipulis credendam reliquisse, nihil agis, nec n. vel veritas fangi potest in eo, quod nec ipse dixit, nec ullo verbo significavit, vel omnipotentia Dei obtendi commentijs hominum imaginationibus.

Capite vi. iterum me vis esse perridiculum, sed tu potius ei qui meam responsionē lecturus es, & cum his tuis strophis bona fide collaturus, non modo ridiculus, sed vanus etiam ac mendax deprehenderis: Nec enim quisquam censembit nō esse ridiculū, quod tu nobis Abrahāmi exemplū toties hīc inculcas, qui periculi metu non ausus fuit fateri quod res erat, nisi fortè nos ita stolidos existimas, ut credamus, quod tu ipse tamen eadem pagina pernegas, Christum vel metu, vel alia quapiam cupiditate, non ausum fuisse

in his verbis quę inter nos controvertūtur, mentem suam atque intentionem explicare.

In calce hujus capitatis jam non dissimulanter, sed manifeste ac palā prodis, insano te cavillandi calumniandiisque studio teneri. objeceram enim te truncatam meam protulisse sententiam, id meis ipsis verbis syllabatim recitatis probaram. Tu eo ipso quo hanc culpam declinas, majorem etiam contrahis, fateris enim te admonitum reperisse postea me repetendo supradicta mea verba, aliquid eis adjecisse, quod aliquid haberet disjunctionis, sed te tantū mea verba citavisse, & quām absurdū sensum contineant ostendisse. Fateris igitur te meam sententiam reprehendisse antequam eam integrum intellexisses: & tamen nihilominus iterum absurditatem illius mihi improperas, cùm omnes videant eam sententiam uti à te producta erat, fuisse truncatam & mutilam, nullo n. interjecto intervallo conseqüebatur ipsa sententiæ ratio, qua apertè indicabatur id quod tu me aīs absurdè prætermis̄ſe, & tamē si omis̄ſsem, poteram sine culpa, id fecisse, quando manifestum est ad nostrā disputationem eam particulam nihil pertinere, cùm nemo nisi insanissimus unquam existimarit, Christum illis verbis suam intentionem vel capitalē, vel finalem voluisse celare, quod tu tamen bonus theologus hīc videris velle innuere. Capite septimo, ut argutijstuis (quibus argumenti mei verissimam ac necessariam connexionem obscuras) locum aliquem pares, mea verba iterum calumniose mutilata, & in alienam & nunquam à me cogitatam sententiam detorta producis. Ut enim incauto lectori

per-

persuadeas, me Dei vel veritatem vel omnipotētiam  
 in dubium vocare, ita me singis esse ratiocinatum: Si „  
 Deus facit id omne quod dicit, quotiescunque sp̄i- „  
 ritus ejus res planè disparatas alterā de altera enun- „  
 tiaverit, per verbum est, (quum Deus omnia possit) „  
 fateamini necesse est, eundem Christum in veram vi- „  
 tis substantiā, in agnum, in leonem &c. fuisse trans- „  
 mutatum. Ego verò mihi exhorresco ad tam impiū  
 connexum; scio etenim & certa *πληροφορία* indubi- „  
 tate credo, Deum omnia facere quæ dicat, quæ- „  
 ve facere velit. Planè igitur non agnosco mea ver- „  
 ba quæ pro meis hīc producis. Nec enim ego illo  
 antecedenti quod mihi tribuis, usus sum, (Si Deus  
 facit, quod dicit) Sed hoc planè diverso, nimi- „  
 rum (Hec verò si vobis connexio constabit:) Nam  
 quæ fuit illa connexio? An quod concluderetis  
 Deum omnia facere quæ diceret, aut quæ vel- „  
 let? Nihil minus. Eodem enim illo capite aper- „  
 tiissime professus sum: *Quòd si ad illa à Christo*  
 pronuntiata verba (Hoc est corpus meum) Euange- „  
 listæ subjunxissent, continuò inania seu vacua panis  
 accidentia, abjecta substantia & forma *ετιάδη*, commi- „  
 grasse in Christi corpus: nemo esset nostrū qui du- „  
 bitaret, virtute divina potuisse effici, quod factum  
 esse ipse Dei spiritus asseveraret. Nihil igitur tale ne  
 per somnium quidem mihi venit in mentem, quale  
 tu mihi hīc assingis. Sed his ipsis ego verbis usus  
 sum (Sed aīs, etiam si verba propriè id non significet  
 fieri, tamen quum vi omnipotentis Dei fieri possit,  
 & Christus dicat corpus suum esse quod erat panis,  
 ideo effici necessariò, factum & transsubstatiatum)

cap. 3.  
pa. 17.

„ esse panem in corpus . Hæc verò si vobis connexio  
 „ conſtabit, An non videtis eodem jure necessariò dā-  
 „ dū esse, ut , quotiescunq; Dei spiritus res planè dis-  
 „ paratas alterā de altera enūtiaverit) & quæ sequūtur.

Vidēsne bone vir , te pro meis verbis malitiosè  
 tua substituisse ſomnia, quæ ignaro populo pro ora-  
 culis venditares? Ego enim pernegavi, Dei spiritum  
 hoc dixisse quod vos esse factum fingitis ; Et quia  
 planè non dixit, ac ne quidem ejus verbis ejusmodi  
 quidpiam significari , etiam te confitente palam eſt,  
 propterea reprehendi importunam tuam illam cō-  
 nexionem, qua id extra Dei verbum effici voluisti.  
Quod quidem certè meū argumētū eſt proculdubio  
 longè veriſſimum & planè necessarium , neq; potest  
 ſtrophis illis tuis, quas hīc anxiè cōgeris, vel dīlui vel  
 obſcurari . Ne tamen ſine ratione videaris iſtanire,  
 confugis ad azylum diſtinctiunculę, & aīs verū qui-  
 dem eſſe antecedens argumenti mei, in ijs quæ non  
 priūs fuerunt id quod ipſe Dominus jam dicit eſſe:  
 Sed non in illis quæ jam priūs id fuerunt quod ipſe  
 eſſe affeuerat. Atque hec multis verbis, quaſi ex pul-  
 pito tuo nos edoces, quare Christus dicatur vitis,  
 Agnus, Leo & alia ejusmodi. Sed veni ad rem, & de-  
 ſine vagari extra oleas, ac ſine ambagibus reponde,  
 An in omnibus enuntiationibus quibus res dispa-  
 ratæ dicuntur altera de altera per verbum eſt, ſem-  
 per intelligi debeat altera in alteram eſſe transſub-  
 ſtantia? Hoc enim versatur in quæſitione. Deum  
 enim facere quæ dicat, nemo homo, ac ne Diabolus  
 quidem vix unquam dubitavit. Quòd ſi jam hīc ge-  
 neratim affirmas eam debere admitti in omnibus ijs  
 rebus

rebus quæ non ante fuerunt id quod esse enuntiantur, Edissere nobis bone Magister quomodo Deus jubeat circumcidere carnem preputij, & de illa circumcisione dicat, Hoc esse suum fœdus? planè quemadmodum hic nos jubet panem edere & calicem bibere, Et de illa ipsa mādicatione ac potatione pronunciat, hoc esse novum fœdus seu novum Testamentum in suo sanguine & corpore. Num vis igitur carnalem illam actionem circumcidendi preputij revera mutari in fœdus Domini? Expedi etiam, quo modo articulata illa atque ex Christi & Apostolorū ac Prophetarum ore syllabatim expressa vox, quam constat sua substantia nihil esse aliud nisi aeris percussi collisionem, dicatur tamē & revera sit verbum Domini exercituum. An fortè quia vox hominis mortalis transsubstantiatur in æternū illū Deum? Aut potius quia quod illa voce & syllabarū distinctione ut signo designatur, representatur ac significatur, & fideliū deniq; animis per Spiritū Dei exhibetur, verè sit verbū Dei, quemadmodū quod pane isto, tanquam sacrę rei signo, designatur, representatur ac significatur, & denique fideliū animis verè exhibetur, ipfissimum est corpus Domini nostri Iesu Christi? Atqui jam antè quā illa vox extra oris claustra pronuntiaretur, non modò non erat Dei verbum, sed ne erat quidem in rerum natura. Viden igitur quam futile sit hoc tuum effugium? Quod si nondum intelligis, tu ipse tua verba agnosce, & tuo te gladio confossum si potes, diffitere. Scribis enim sequenti capite in ea oratione (Petrā erat Christus) petram accipi in propria sua significatione, ut nimirum signifiet

„ficit lapidē virga Mōsis in Oreb monte percussum : quero igitur jam ex te, mi Bai, an quia Spiritus sanctus dixit , Petram illam fuisse Christum, ideo censes fuisse transsubstatiatam in Dei filium? Nō dices, sat scio, Tu enim ipse scribis, Nullam hīc transsubstatiōnem facere Spiritum sanctum , sed tantū significare id quod antē cœpit esse quām hēc diceret. Idemque planē statuis de agno Paschali : Atqui necesse est fatearis hēc non ita fuisse, antē quām sacramentaliter instituerentur ad id significandum quod jam dicuntur esse. Sacramentalis igitur institutio efficit, ut sint id quod verē dicuntur esse. Ac proinde necesse est , eo ipso momento quo sacramentaliter institui cœperunt, jam tum verē fuisse id quod Spiritus sanctus eas esse pronuntiat. Agnus enim qui ad Paschalīs celebrationem ex Domini mādato immolatur, non jam antē sua natura fuit signum aut sacramentum, quamdiu in reliquo ovium & agnorum grege versabatur, sed res tantū, utpote animal: ex quo autem cœpit destinari atque immolari ad eum finem ut esset signum liberationis illius ex ægypto, quæ Christi liberationem prænotavit , planē eodem illo momēto verē cœpit esse phase vel Christus ipse. Petram quidem, de qua loquitur Paulus, verum est jam pridem & multis anteā sēculis significasse Christū , quām Paulus ea verba pronūtiaret, ( Petra erat Christus ) sed ne tu quidem negabis, nō de sua Paulum ētate loqui, sed de superiorū Patrum ævo, quorum tempore ait jam tum fuisse petram illam , Christum. Quòd si igitur Moses, eam virga percutiens, populum monuisset, ut profluentem illum ex petra lati-

laticem, pro sacramento spiritualis potus in Christo  
 olim exhibendi usurparent, quid vetat quo minus  
 verè potuisset dicere, hæc Petra quam ego percutio  
 est Christus, vel est cōmunio Christi? planè quem  
 admodum Spir. Sanctus de pane quem frangimus  
 verè ait esse corpus vel communionē corporis Chri-  
 sti? Quid hic hæfitas? An non meministi te scribere,  
 has duas voces, Petram & agnum Paschalem Christo  
 tribui, ratione rei significatę, quæ prius Sacramenta-  
 liter instituta fuit ad id significandum? At quo tan-  
 dem momēto tu nobis definies istud tuum (priūs?)  
 Ecquod tibi temporis intervallum postulabis inter  
 Sacramentalem institutionem, quam ais debere an-  
 tecedere, & ipsam enūtiationem, ut vera esse possit,  
 & per Sacramentalem significationem explicari?  
 Brevisne horæ, an longi fortasse sæculi? Atqui con-  
 stat enuntiationes omnis sacramētales jam tūm esse  
 veras, quando Sacramentum instituitur, & quando  
 accedente verbo ipsum elementum ad rem sacram  
 significandum sumitur atque usurpatur? Accedat  
 verbum ad Elementum, inquit Augustinus, & fiet  
 Sacramentū. Quid est igitur, quod tu causaris? Quia,,  
 Panis nulla omnino præcessit sacramentalis institu-,,  
 tio, qua Christum aut ejus corpus significaret, sed,,  
 anteā tantū res fuit, non signum, ideo fallām esse,,  
 & dolosam hanc explicationem, quam à me ais esse,,  
 confictam, videlicet, ut (Panis est Christi corpus),,,  
 tantundem valeat, atq; id quod per hunc panem si-,,  
 gnificatur atq; exhibetur est Christi corpus. An po-,,  
 tes negare, Sacramentum hīc institui, & ad panis ele-  
 mētum accedere verbum, ut fiat sacramentū? Quid

est quod te h̄ic unius momenti usura magis conturbat, & à vero videndo avertit, quām in reliquis omnibus Sacramentis? Sanè aqua Iordanis in alueo suo profluens nullo antē tempore fuit signum, sed resonantū: neque enim pr̄cessit ulla sacramentalis institutio, & tamen quo momento Ioannes Baptista eam sumit ad fideles baptizandos, & verbo addito, docet ad memoriam ablutionis agni Dei eam adhiberi, quis nō videt, jam tū nullo intercedente temporis intervallo verissimam esse h̄ac enunciationem?

H̄ec aqua est lavacrum regenerationis, veleſt, ablutionis sanguinis Christi. vidēſne igitur frivolum esse & inane prorsus hoc tuum commentum, quod tu tibi

*cap. 12.* pro effugij arce statuis, de intermedio temporis intervallo inter Sacramenti institutionem & sacramē-

*pag. 41.* talem enunciationem? Quare quod ita confidenter

improperas me verborū involucris & sermonis am-  
„ biguitate vos ludificare voluisse, cū scripsi (Ex quo  
„ Christus voluit hunc panem in eum à nobis usum  
„ accipi, ut esset vice sui corporis, jam verè fuisse ejus  
„ corpus non quidem ulla substantiarum commigra-  
„ tione, sed usu & destinatione.) propterea quòd, ut tu  
cavillaris, incertū fit quod h̄ic ego tempus designem  
& utram voluntatem, temporalēmne an æternam si-  
gnificem, non procul certè abest à sycophantica ma-  
litia. Ista enim mea, quæ tu alligas, verba nullo pe-  
„ nitus intervallo pr̄cedunt h̄ec (Nos contrà pla-  
„ nissimè confitemur, quo momento h̄ec Christus  
„ cœpit pronuntiare, & verò etiam quo panem hunc  
„ ad repræsentandam mortis suæ memoriam destina-  
„ vit, eo ipso verba omnia fuisse verissima atque cer-  
tissima.

tissima. Ex quo enim voluit hūc panem &c.) Ama-<sup>33</sup>  
 bo te mi Bai an potest hīc cuiquam esse obscurum  
 quod ego tempus designem? cūm perspicuē osten-  
 dam ab ipso sacramentalis institutionis momento,  
 jam tum hæc verba fuisse verissima? Quod cūm tu  
 ipse in Agno Paschali disertis verbis statuas, tūc verè  
 dici posse Christum, quando ad immolandū jussu  
 Domini deputatus est; mirū est tam effrenato trans-  
 substantiationis amore te teneri, ut idem in pane sā-  
 cramentalī, quem in agni Paschalis locum suffectum  
 esse non ignoras, nequeas agnoscere, tunc nimirum  
 verè dici corpus Christi, quando ad eū memoriam  
 jussu Domini accipitur & māducatur, prāsertim cū  
 audias Euangelistas uno ore pronuntiantes; postquā  
 Christus accepisset panem Deoqué gratias egisset,  
 cōtinuò in eum finem Apostolis dedit, ut eum ac-  
 ciperent & ederent, propterea quōd esset ejus cor-  
 pus, causalis enim hæc particula in calicis porrectio-  
 ne apud Matthæum disertè exprimitur, & vos eam in  
 vestro Missarum canone utrobique usurpati. Quo  
 igitur momento jubet eos accipere, eodem illo jam  
 declarat usum ac finem in quem illud Sacramentum  
 destinari, ut sit eius vice vel pro symbolo sui corporis,  
 ac proinde jubet id eos facere in sui memoriam.

Demiror itaque qua fronte, aut potius qua con-  
 scientia, tibi delitias facias in putida ista de temporis  
 momento cavillatione, quo nimirum cœperit panis  
 esse sacramentū, cūm tota hæc de temporum & mo-  
 mentis argutia, nō ad nos pertineat, qui agnoscimus  
 verborum Christi veritatem in institutione sacra-  
 mentali, sed ad vos qui à syllabarum apicibus atque

à temporis discrimine quo jā ultima syllaba (um) enūtiata est, ejus verborum vim omnem ac veritatem suspenditis: Nec enim erubuisti scribere, falsam fore orationem filij Dei, si statuatur eo ipso momento quo cœpit eam enūtiare, panis fuisse ejus corpus, cū tamen videoas hanc ab eo consignari causam cur velit eos panem hūc accipere, propterea nimirū, quòd jā sit ejus corpus, destinatione nempe atque usu (quod sæpè diximus) non substantiarum permutatione.

Quòd verò tibi hīc idētidem, quasi edito sibyllę filio, plausūm excitas, in eo quod vis, neque Petram, neque agnum, neque lignum vitę, nec deniq; tuum illum truncum Franciscum significare illa metaphoricè, ad quę repräsentāda adhibetur, nihil nisi meras nugas agis. Nos n. in Christi schola didicimus, non de voculis anxiè digladiari, sed rei veritatem ex Domini verbo investigare. Itaq; sive explices ejusmodi sacramentales loquendi rationes, per significat metaphoricè, sive per repräsentat, sive per sacramentaliter institutum est ad id significandum, nos hæc oīa susque deque habemus. Et si eandem nobis æquitatem hic tu præbere voles, quando non potes utiq; negare quin hīc institutio sit Sacramētalis, ne unum quidem posthac verbū tecū commutabimus, neq; erit nobis anxiè laborandum, quando aut quo temporis momento hæc repräsentatio, aut Sacramentalis institutio exstiterit, neq; quotplex sit voculæ est, significatio. Nos enim facile patiemur te omneis istas quæstiunculas pro Magistrali tua sapientia, ex pulpito decidere, modò ut de sententia & re ipsa inter nos constet.

Vt igitur unde profecta est, eò redeat nostra oratio, fatemur quidem, quidvis credendum esse quod se Deus dicit facere, quando de ipsius voluntate vel ex planaverborum significatione, vel ex re ipsa, atq; effectis rem consequentibus, vel deniq; ex sensuum judicio nobis constat. Est enim non de potētia, sed de volūtate, nō de enūtiationis veritate, sed de significationis proprietate omnis hæc nobis cōtroversia.

Et tamen in illis ipsis propositionibus in quibus naturarum vel substantiarum existit transmutatio, si Dei Spiritus ad eam ipsam faciendam uteretur enūciatione indicativa, & jam pronuntiaret esse, quod necdum factum esse constaret, esset quidem ejus oratio omnino verissima, atq; omni fidei certitudine amplectenda; at modus certè loquendi non posset nisi impropus & tropicus censeri. Modum enim indicantem pro imperante, vel tempus præsens pro futuro, vel esse deniq; pro forepositum esse, nemo, nisi perficacissimus possit pernegare.

Vt, si verbi gratia, pro eo quod Dominus dixit (Fiat Lux) dixisset (est lux) vel si fortè Christus de aqua illa in Cana Galilea dixisset (hoc est vinum) significans se velle ut fieret vinum, vel futurum esse vinum, vel pro eo quod dixit, (Lazare, veni foras) dixisset ( Lazarus venit, vel est extra sepulchrum) vel denique pro eo quod filiæ demortuæ dixit, (Puella tibi dico, surge) visum ei fuisset uti his verbis, Hæc puella surgit.) Quis non videt in ejusmodi oratione futuram fuisse vel modi vel temporis enallage, quam quidem indubie tropum esse, & à genuina verborū proprietate recedere, ne pueri quidem Grammaticis

cis rudimentis imbuti possunt ignorare. Ac proinde nemo intelligeret ex ejusmodi enunciationibus, vel aquam fuisse mutatam in vinum, vel Lazarum prodijie ex sepulchro, vel filiam revixisse, nisi id vel sensuum judicio comprobaretur, vel certè eodem illo verbo Dei disertè postea explicaretur. quod quidem in omnibus etiam ijs quæ propriissimè enuntiata sunt ab Euangelistis factū videmus. Nam si post illa verba proleta de aqua, Hoc est vinū, omnes aquam vidissent eadem forma, figura, colore, sapore atque ijsdem omnibus accidentibus, quib. paulò antea existiterat, & ipse Architriclinus, cæteriq; convivæ nihil nisi aquam gustassent, neque Apostoli aut Euangelistæ manifestè tradidissent aquam verè fuisse commutatam in vinum, nemo esset qui non meritò suspicaretur, ejusmodi impropria enūciatione, Christum sub involucro rei corporalis, spirituale quidpiā voluisse innuere, quemadmodum videmus Mariam Lazarisororem, cùm Christus diceret, Lazarum fratrem ejus resurrecturū, suspicatam fuisse de ultima resurrectione eum loqui. Est enim illud in omnibus Domini miraculis, alijsq; rebus elementaribus, quæ extra ordinem naturæ fiunt usitatum atque perpetuum; ut semper sint vera, certa, indubitata, & planè ejusmodi, quæ tum ipsis rerum effectis & confectionibus, tum communī etiam omnium sensuum judicio possint comprobari. Nam quod in re corporea factum miraculum, nullus unquam mortaliū neque oculis vidit, neque alio ullo sensu teste atque adprobatore cognovit, id sanè ut factum esse creditur, omnino alijs luculentis, claris, dilucidis, significanti-

cautibus, & indubitatis testimentijs opus habet. Certè ut Christus ex filio Dei homo factus esse, & mortuus crederetur, et si rei eventus per se satis cōprobavit, videmus tamē quām multa & magna, immo quām infinita, quām luculenta, quām gravia, quām significantia denique, tum prophetarum, tum Apostolorum, tum Euangelistarum, tum ipsorum etiam Angelorū atq; adeò Patris ipsius cælestis testimonia nobis existare Dominus voluit. At qui nulla re vel minus fore, vel levius hoc miraculum, omnes vidēt, Sibrutum atque inanime panis frustum, abjecta sua priori substantia, in ipsum filij Dei sacro sanctū corpus, & Spiritus sancti sacrariū, atque adeò in ipsum illum filium Dei æternum rerum omnium conditorem, corporaliter transeat. Quare si tam stupendum hoc mysterium in fidei articulum referri voluissest Spir. Sanctus, haud sanè nobis id fuisset propositurus verbis quæ id ipsum minimè significant, sed alijs planè claris, dilucidis, ac significantibus, & quæ tum Prophetarum prædictionibus, tum Apostolorum, atque Euangelistarum dilucidis testimentijs, ac certa approbatione, tum denique omnibus rerum effectis & consecutionib. ac sensuum etiam judicio essent confirmata: neq; Paulus, post tam stupendam elementi panis conversionem in ipsum Dei filij corpus, toties una, eademque pagina, simplici panis nomine, sine ulla alia explicatione, elementū istud nūcupasset: neq; ipsi certè Apostoli, quia alioqui ad res levissimas aliquando hæsitabant, & vel unius parabolæ, aut dictiōnis non admodum obscuræ explicationem tam diligenter sciscitabantur, tantam rem,

tam

tam obscurè ac minimè significantibus verbis propositam, tam securo atque oscitante silentio prētermisissent. Thomam certè, quid Thomam dico? imò reliquos omnes undecim, qui Christum è mortuis excitandum toties audierant, qui jam excitatum ac viventem, loquentemque & oculis & auribus hauriebant, neque tamen fidem adhibere poterant, nisi etiam manibus clavorum vulnera explorarent, quis credat ad hoc tantum & tam stupendum miraculum, quod quidem cætera omnia miracula longè exsuperet, & cum omnium planè sensuum judicio pugnet, tam supinam fidem potuisse adhibere, ut ne sciscitationi quidem, aut levissimè dubitationi locū aliquem relinquerent? Sed intelligebant illi usitissimam in omnibus symbolis loquendi rationem, videbant in Agni Paschalis locum, quem jam unà cum Christo ex legis præscripto sumserant, institui novum sacramentum, quod eis esset mortis Christi jam jam subsecuturæ mnemosynon. Audiebunt etiam verba clara, aperta, atque dilucida, hoc facite in mei memoriam. Itaque nihil erat, cur miraculosam ullam rerum conversionem somniarent, aut clariorem verborum explicationem postularent.

Quod certè cùm sit non modò verissimum, sed ita etiam planum atque expeditum, ut omniscrupulo ac dubitatione vacet: restat, ut ego te, mi Bai, tuis ipsius compellem verbis, moneamque te jam satiscum impijs circuivisse (in circuitu enim impij ambulant) regredere itaque tandem in rectam simplicis veritatis viam, & veræ fidei lumen, posito præjudicij velo intuere.

Venio

Venio ad decimum caput , quod quidem ego  
meritò possem tacitus præterire , propterea quod  
quarto mœx responzionis capite ita luculenter ad  
hæc omnia respondi, ut nihil hic addi posse videatur.  
Nam & quid esset Dei verbum clare explicavi , &  
nos quidem id religiosè venerari ostendi , & deniq;  
ab ipso illo Dei verbo inanes vocum sonos , & cha-  
racterum typos , quo ad quidem per se consideran-  
tur se junxi, atque hæc omnia exemplis & rationibus  
ita apertè declaravi, ut te mirer Bai, admirabili quo-  
dam calumniandi studio, ita omnia in contrariam  
rapere sententiam, fretum fortasse hac fiducia, quod  
inter vestros nemo mea legens te mendacij possit  
coarguere . Ais, te fuisse à me reprehensum, quod „  
nolles fateri, non fuisse veram vocis Christi opera- „  
tionem, qua Lazarum excitavit , sed magicam , sed „  
cabalisticam , sed diabolicam. „

Distinxii ego quidem verborū voces ac sonos ab  
eorundem significatione , quod certè nemo nisi  
magicis præstigijs imbutus, mihi non dabit esse di-  
stinguendum; quod enim verbo Christus significat,  
est ejus voluntas mente concepta.

Nam verba inter homines obtinuerunt principa-  
tum significandi, ut ait Augustinus, quæcunq; ani-  
mo concipiuntur , si ea prodere quisque velit. Et  
quia verberato aëre, ut idem Augustinus prosequi-  
tur , statim transeunt , nec diutiùs manent quām so-  
nant , instituta sunt per litteras signa verborum.

Quare, si vocem Christi qua iussit Lazarū ex sèpul-  
chro foras venire , cum voluntatis ejus significatio-  
ne conjungis , Quemadmodum sine dubio con-  
juncta,

juncta fuit, cùm eam Christus enunciaret, omnino  
 aio veram ac divinam fuisse vocis illam operationē ;  
 Sin autem illam externam vocem per se consideras,  
 & à read quam significandam adhibebatur, id est, ab  
 ipsa Christi voluntate sc̄jungis, non jam Christi o-  
 perationem , sed tuum hoc commentum aio esse  
 magicum, Cabalisticum, & Diabolicum, propterea  
 quod ipsam filij Dei virtutem sono aëris attribuis:  
 Atque hoc est illud , quod disertè scripsi , cùm dixi ,  
 non anxiè nos laborare quomodo enuncietur Dei  
 verbum, modò ut de volūtate cōstet ejus qui omnia  
 suo versat nutu atque imperio . Sed interea longis-  
 simo certè intervallo ab hoc Dei verbo inanes vo-  
 cum sonos , aut characterum typos, quoad quidem  
 per se considerantur, semovemus . Quod certè si te  
 tuus animi morbus non præpedisset animadvertere,  
 haud tu tam fœdam calumniæ labem contraxisses.  
 Quomodo enim potuisses illa mea verba intelligere  
 (quoad quidem per se considerātur) nisi pro eo quod  
 est, quoad ab ipsa loquentis voluntate sc̄junguntur.  
 Omnipotens autem qui voci externæ per se conside-  
 ratæ vim aliquam tribuit ; is vel stultitiam suam , vel  
 magicam improbitatem manifestam facit : Nam si  
 vocis sonum ipsum à Christo prolatum vis eam ha-  
 buisse vim, ut naturam panis in carnem converteret,  
 cùm illa vox Syriacè fuerit prolata, non Latinè, ne-  
 cessere erit fateri, in vestris latinis Missis nullam posse  
 vim transubstantiationis constitui . Sin autem exi-  
 stimas rem ipsam, nō vocis sonos, ac syllabarū apices  
 esse attendendas , quid est quod tu, me planè idem  
 dicentem, tam sycophanticè suggillare nō erubescis?

Sed

Sed video quid te sollicitet, Meministi vos in vestris missarum solennibus huic verborum enunciationi, etiam si absit intentio (modò ut generalis Ecclesiæ intentio illius absentiam suppleat) tribuere efficaciā ac vim transubstantiationis. Et quidem usq; adeò, ut plerique vestri Scholastici decernant, etiam in pistoris taberna vel in cella quapiam vinaria aut foro, si voces illæ syllabatim pronuncientur, panis illam omnem molem ac vini vim continuò in carnem & sanguinem esse transitura. Quæ certè omnia non aliter quam inania temulentorum somnia evanescerēt, si constaret non in vocum prolatione, sed in rerum significatione omnem verborum vim debere constitui, & simul solennes illi precularum vestiarū ad calculos demurmuratarum ritus, quibus Dominica oratio & Salutatio Angelica nec intellecta, nec cogitata, ad peccatorum consequendam remissionē nullies iteratur, penitus omnes conciderent; Et denique omnia propemodum vestra sacrorum orgia, quæ non nisi inani aut potius pecuino vocum sacramentum mugitu constant, impiæ superstitionis nomen ac censum subirent. Quæ tu cùm tanquam aras & focos putas esse propugnanda, non mirum est, si in vocum istarum sonis & pronunciatione externa, etiam si à pronunciantis mente longissimo distinctæ sint intervallo, vim atque efficientiam colloces. Et tamen ne planè videaris impius, aīs, te æternam Dei voluntatem, quæ rerum omnium prima & radicalis causa est, à verbis Christi vocalibus, quibus tanquā instrumentis usus est ad illuminandum cæcum, ad suscitandum Lazarum, aliasq; sanitates perficiendas,

,, distinguere potuisse. Sed primum si me existimas . cùm de sempiterna Dei voluntate facerem sermo- nem, ad illam respexit voluntatem , quæ rerū om- nium prima ac radicalis causa est, quam solemus vo- care Providentiam, vel Prædestinationem, falleris : ego n. quando de constanti ac perpetua Dei volun- tate feci mentionem , haude quidem illam generale spectavi, prout est prima omnium rerum causa, sed unamquamq; particularem, quam ipse nobis Chri- sti atque Apostolorum voce explicari voluit, veram nimirum, intentionem, finem, ac significationē eo- rum verborum, quæ Christus ipse, ad animi sui con- ceptionem ac volūtatem nobis indicandā, adhibuit

Eam ego te dixi vel nolle, vel nescire distinguere à vocali verborum sono.

Quod verò ais, Christum verbis vocalibus usum fuisse, tanquam instrumentis, ad operanda miracula, impropriè loqueris. Nam etsi figurato quodā modo verba possint dici instrumenta, quando unā cum re- rum significatione conjuncta considerantur, tamen si propriè loqui volumus, & causas à causis rectè dif- cernere , perspicuum est verba, respectu rerum quæ efficiuntur , non in instrumentorum , aut causarum instrumentalium , sed in signorum censu esse repo- nenda. Quod certè ab Augustino & prudēter anim- adversum & præclarè annotatum est in libellis de doctrina Christiana. Instrumenta n. etsi nullam ha- bent illa per se vim, atq; efficientiam , nisi quatenus ab ipso illo, qui eis utitur, adhibentur, unde illud est à Domino exercituum apud Esaiam, Nunquid glo- riabitur securis, &c.

Tamen

Tamen vel à natura, vel ab arte acceperunt quan-  
 clam aptitudinem naturalem, ad eas res perficiēdas,  
 ad quas adhiberi solēt. Ita arbores aptæ natæ sunt ad  
 fulcienda ea, quæ collabuntur, secures & bipennes  
 aptæ factæ ad secundum, verba verò neque nata, ne-  
 que ficta sunt ad quicquam efficiēdum, sunt n. signa  
 non naturalia, sed data, ut rectè consideravit idem  
 Augustinus, quæ sibi quæque viventia invicē dant,  
 ad demonstrandos quantum possunt motus animi  
 sui, vel sensa aut intellecta quælibet, & à mero homi-  
 num arbitrio atque instituto dependent. Itaq; nul-  
 lam illa quidem habent efficientiam, nisi quatenus  
 hominum consensus voluit, ut hoc vel illud signifi-  
 carent, & in alterius animum traijcerent, id quod in  
 animo gerit is quis signum dat, ut verbis utar Au-  
 gustini. Quod se ita habere ex eo facilè evincitur,  
 quòd ipse verborum ac vocum usus ex infirmitate  
 proficiuntur humana: Angeli n. qui mentis conce-  
 ptiones sine verborum signis possunt inter se com-  
 municare, neque lingua, neque palato, neque ullis  
 deniq; vocalibus verbis opus habent. At nobis quia  
 id minimè datum est; constamus n. corporeæ & ter-  
 restri materia, necesse fuit signa comminisci, quibus  
 mentis nostræ concepta alteri alteris manifesta face-  
 remus. Quòd si igitur significandi ratione verba aut  
 voces instrumenta quis appellaverit, haud ille quidē  
 à vero aberraverit. Hactenus enim sunt instrumenta  
 quo adaptæ sunt ad significandum quod animo cō-  
 cepimus, quod quidem habent ab hominum volun-  
 tate & consensu, quib. id beneficium à Deo datum  
 est, ut ejusmodi medijs, quasi quibusdam instrumē-

tis animi sensa possent aperire , sed si habeatur ratio rerum ipsarum quas significant , planè non possunt verba haberi in numero instrumentorum,nec enim ullam habent vim, aut efficientiam ad illud agendū aut producendum,quod velagi, vel produci significant , nisi quatenus, ut antè indicavi, considerantur conjunctim , cum ipsa rerū quas exprimunt,significatione; Ita cùm verbo aliquid stipulamur,emimus, donamus , aut quavis denique alia ratione contra himus , omnis illa contractus efficientia in animo ac voluntate contrahentiū versatur . sed quia non possumus nisi verbis aut alijs ejusmodi signis illam voluntatem exprimere, ideo ex verbis dicitur nasci obligatio, quemadmodū ex literis & sigillis quę ad declarandum quid in animo habeamus,adhibentur: ac proinde si qua vis verbis aut signis tribuitur, id utique fit ratione non signi , sed rei significatæ , quod ex eo manifestum est , quia nisi verba utrimque intelligentur , obligationenī propriè parere non possunt. Dæmones quidem & quoscunque illi suis dementarunt fascinis,studiosē adlaborāt,ut in ipsa verborum prolatione virtutem esse aliquam,nobis persuadeant , atque inde videmus magos, & fortilegos verbis etiam sacris, & non intellectis præstigias suas & miracula effingere, sed Christiana pietas omnibus profectò seculis ejusmodi imposturas semper est adversata. Nam alioqui, si verbaper se aliquam vim haberent, eandem etiam illam litteris & characteribus expressam retinerent, ac proinde inculpatè facerent & Turce & alijs superstitionis Christiani, qui sacrofæcum Christi Euangeliū ex collo depēdentes ad-  
versus

versus telorum injurias se munitos fore credunt.

Cùm igitur dicimus , Christum verbo cœcis lu-  
men, surdi⁹ auditum, ægris sanitatem , mortuis vitâ  
dedisse, omnino intelligimus id ejus ipsius vi ac vir-  
tute, quam verbis manifestam fecit, perfectum esse :  
cadem est & tactus ratio , quatenus ad significandū  
& non ad faciendum adhibetur. Fateor equidē Do-  
minum aliquando perfecisse, ut cōtactu vel vestium  
vel sudariorum vel ossium eorum, quibus oracula  
sua commisisset , ægris sanarentur , sed addo tamen  
nō propriè dedisse Dominum illis rebus vim ullam  
atque efficaciam faciendi miraculi, nam alioqui per-  
petuum illud esset beneficium, sed ijs, tanquam signis,  
usum esse , quibus benignitatem suam erga eos qui  
vera fide, non ad illa elementa, sed ad se accederent  
declararet . quæ cùm planè sint extraordinaria, non  
possunt in exemplum trahi . Ac proinde quicunque  
vel sanctorum in Christo obdormientium ossibus,  
vel eorum vestibus , alijsque reliquijs ullam vim in-  
esse putant , & ad ea , vel sanitatis recuperandæ vel  
consequendi alicujus beneficij gratia , confugiunt,  
ij certè ab idolatriæ , & superstitionis impietate ,  
quæ proximè absunt , quia Dei potentiam ac vir-  
tutem creaturis, tum extra naturæ ordinem, tum ci-  
tra manifestatam Dei extraordinariam voluntatem  
tribuunt. Ex his omnibus facilè judicari potest, an  
hæc sint, ut tu vis Bai, non sacramentorum sed pre-  
stigiorum nostrorū mysteria , Nam ad reliqua om-  
nia, quæ hic procul extra instituti nostri cancellos  
accumulas ; non est operæ pretium respondere , his  
enim intellectis mentem nostram facilè percipiet

æquus Lector , & omnes isti tui vanissimi cavilli  
nullo negotio per se in fumos abibunt.

Ad caput undecimum, duodecimum, ac tertium  
decimum nihil addam, quia jam illa millies refutata  
non possent nisi lectori fastidium parere: uno tanto  
verbo respondebo ,ad illud, de faceto scurra, convi-  
tium, quod me tibi ait impegitte . Id ego certè non  
feci, ut tu existimas, causâ lædendæ, aut inhonorâdæ  
tuæ personæ . Ego enim te plurimi semper feci, &  
tui memoriam cum magna veneratione & suavitate  
etiam colui, sed quia videbâ te, quod caput erat rei,  
alto involuere silentio , voculam , quam obiter in-  
jeceram de adoptionis Iuridice azylo, mordicus ar-  
ripere, atque inde pro tua libidine syllogismos cor-  
nutos eruere, & in ijs delitiâs tibi facere & risum ca-  
ptare, dixi ea ratione palam fieri, non tam ratiocina-  
torem te esse argutum , quâm facetum scurram . In  
quo si peccavi , crede mihi hoc peccatum extorsit  
tua illa nimis impotens animi intemperies, in meis  
argumentis atque enunciationibus truncandis, & in  
alienum sensum, ac sæpè in impium , nonnunquam  
ridiculum contra meam mentē, & simul contra ver-  
borum significationem detorquēdis, quod quidem  
non gravis Theologi, sed faceti potius scurræ(scur-  
ram n. voco qui temerè ex cavillis & dicterijs risum  
captat) esse mihi videbatur. Et tamen si in postrema  
tua hac defensione, ab ejusmodi calumniandi & mea  
dicta pervertendi studio abstinuisses, nō gravatè hāc  
essem culpam deprecatus.

De præsentia corporis Christi in sacramento Eu-  
charistie, satis etiam esse dictum arbitror, pagina li-  
bri

bri mei 31, &c. Præsentiam n. ipsius personæ planè admisi: præsentiam autem corporis eatenus, quoad ejusdem corporis vera atque humana & corporalis, planè integra & cum divinitate inconfusa maneat natura: omnino quemadmodum corporis membris caput, ramis arboris radix: palmitibus ipsa vitis præsens est. Tu si arctiorem præsentiam, aut cōjunctiōnem postulas quam ea sit quæ unius ejusdemque Spiritus nexu & coalitione perficitur, posteà quām illam scripturarum autoritate comprobaveris; habebis nos assentientes. Dum id necdum feceris, patieris nos Christi corpus nō in terris, sed in cælo quò ascēdit, jubētibus angelis & ipso etiā Paulo, querere.

De veritate corporis Christi in Sacramento Eucharistiæ eadem est ratio, veritatem n. ejus corporis in sacramēto Eucharistiæ libēter admittimus, modò ut veritatis vocabulo ipsa corporis veritas non evētatur, nec enim potest esse verum corpus, nisi corporeum, seu corporea dimēsione præditū, corporeum n. esse & corporeā nullam habere dimensionē, sunt planè contradicēta: Non aliter ac si dicas corporeū esse, & non esse corporeū, quæ pius animus, in Deo vel cogitare, exhorrescit. In Deo n. una est & simplex veritas: quicquid efficit, id omne ita potenter atque efficienter efficit, ut id quod facit ut sit, non possit non esse, alioqui oporteret in Deo ponere contradictionem, quod quidem omnem doctrinā de Deo penitus labefactaret: Cùm igitur Deus voluerit, Christum habere naturam corpoream, non potest intelligi ejus natura nisi corporea, ac proinde corporeis constans dimensionibus, quæ sitolluntur,

planè corpus ipsum & corporis natura tollatur, necesse est, quod est ita disertè ab Augustino disputatum, in epistola ad Dardanum, ut nulla nostræ orationis luce indigeat. Vide igitur, ne dum veritatem Christi corporis vestro sensu in terra statuitis, veritatem ejus corporis in cœlo revera amittatis: quam si retinueritis, non video quid obstet, quominus veritatem ejus corporis in Sacramento ita confiteamur, ut interea manes idem illud corpus in cœlo corporum & corporaliter (liceat ita loqui) dimensum, nō definat esse verè & sacramentaliter in Eucharistiæ sacramento, planè quemadmodum in omnibus omnino Sacramētis verè & adsunt & exhibētūr ea, quæ illic sacramentaliter quidem, & tamen verè atque efficaciter exhibentur: ut enim in Baptismo Christum verè induimus, & cum eo verè sepelimur, ita in sacra cæna eundē verè māducamus, & simul cum eo verè unimur & copulamur. Ac proinde si propterea quod non vestro more, neq; ex vestro carnali sensu Christi corpus è cœlo detractum, hīc in terra carnaliter stimus, ideò nos statuitis etiam negare ejusdem corporis vel præsentiam vel veritatem in sacramēto Eucharistiæ, dico meram esse calumniam. Cūm n. verè eum adesse præsentem, etiamsi non adfit carnaliter, sed sacramentaliter & spiritualiter, decernamus; neq; præsentiam ejus, neque veritatem tollimus.

Quod autē cavillaris in balenæ deglutitione, penetratum excussit, & quia respondendo possem videri ridiculus, tacitus præteribo. Si tamen addidero, in illis Augustini verbis, quibus ait, flagitiū videri præcipere Dominum cùm carnem suam jubet manducari,

cari, & in illis (non corpus quod videtis, neque sanguinem quem effusuri sunt, &c.) hos cavillos locum habere non posse; clariora n. sunt quam ut ejusmodi fumis possint obscurari, præsertim cum idem de sanguine dicat, qui omnino per frusta discerpi nequit, atq; de corpore. Ejusdem farinæ est, quod cap. xv. subtiliter & acutè disputas de præstigijs, Quæris, si quis me præsente, sed id sensu non percipiente moriatur, an sensus mei in hac transmutatione substatiæ præstigiū passi dicentur, quia nō adverterunt quod alia ratione postea deprehēditur, nempe ex vivo homine cadaver inanime factum esse : & ex eo concludis: præstigium igitur sensus pati, non quando circa substantias aliquid occultè mutatur, quod sensu nō percipitur, sed quando sensibus in suo sensibili illuditur, ut aliud pro alio sentiant, &c.

Non inquiram an rectè dixeris mortem esse substantiæ transmutationē, neque an illa transmutatio, si transmutatio dici potest, aliquid habeat cōmune cum ista, quam vos in Sacramento Eucharistiæ fingitis; ab omnibus omnino quæ unquam à mundo cōditō, vel naturaliter, vel miraculose extiterunt, transmutationibus, ac metamorphosibus, etiam vestro judicio, dissimillimam, et toto genere disparem, nec n. est mibi studium cōtendendi : Sed hoc unum me dicam vehementer demirari, te, qui sis & summe eruditus, & sanè quam acutus, tanto tamen contradicendi studio abreptū esse, ut non videris, te hīc nobis præbere gladium, quo totam istam tuam transubstantiationem jugulemus atque confodiamus.

Ego n. non modò concedo quod proponis, sed

etiam quā ex propositione tua nectis cōclusionem, eam tibi libenter dono. Fateor itaque sensus meos haud esse passuros præstigiū, si quem ex viuo homine cadaver inanime fieri minus persentiscam, atq; ex eo etiam efficio, ne tum quidem pati præstigiū sensus meos, si nullo sensu percipiam ex pane fieri corpus Christi (loquor n. more vestris doctoribus omnibus usitato,) sed quid inde efficies? An propterea ne tum quidem esse præstigium, postquam jam verè ut vultis, & substantialiter mutato pane in hominis vivum corpus, tamen non modò sensus mei omnes nihil tale percipiunt, sed contrà vident, audiunt, palpant, odorāt, gustant nullū hīc esse vivum corpus, in quod vos panē jam esse mutatū asseveratis, sed verum ac naturalē panē non aliter ac priùs fuit? Planè quemadmodū si tu mihi affirmares de homine vivo (volo n. jam tuo infistere exēplo, ut intelligas quām acutē sis ratiocinatus) eum jam esse mutatū in inanime cadaver, me neque vidente, neque sentiente: ego quidem haud arbitrarer sensus meos esse fascinatos quām diu non aliter cernerem, sed si paulò post tuā asseverationem; ego ipsum illū hominem, quem tu mihi mortuū esse contenderes, viderem, audirem, palparē esse verū ac viuū hominem, non aliter quām antē fuisset: né velego te aut hallucinatū, aut mētitum esse dicerem, vel meos sensus oēs fascinatos esse arbitrarer, vel denique tuā assertionem per figuratū ac tropicū loquendi modū, intelligendū esse statuerem, vidēsne, mi Baj, te tuis hīc pedicis ita teneri captum, ut nullā tui expediēdi rationē invenire possis? Intellige jam igitur, sensus præstigiū pati, nō quando

circa substâtias aliquid occultè mutatur, q̄ sensu nō  
 percipitur, sed quando jam revera mutatū, sensibus  
 tamē aliter sese objicit, quām revera sit, vel ut tu ipse  
 non perperā statuis, quando sensibus in suo sensibili  
 illuditur, ut aliud pro alio sentiat. At qui heus tu bone  
 vir, an potis es non videre in hac tua trâfsubstântia-  
 tione sensus meos oēs in suo sensibili deludi, ut aliud  
 pro alio sentiant, quando post factâ panis in corpus  
 mutationem, panem oculi vident, manus tangunt,  
 dentes premūt, lingua gustat, nares odorâtur, quid  
 hîc habes quod opponas? An non agnoscis ipsissima  
 tua verba, quæ ego non mutilata, neq; detorta, sed  
 planè, ut in tuo codice expressâ habetur, recitavi. Ex  
 quibus si tu nō vides neq; sentis efficacissimè, me tuā  
 sententiam jugulavisse, necesse certè est, ut ipse tuos  
 oēs sensus, tuumq; judicij præstigijs fascinatum esse  
 agnoscas. Eodē capite desudas ut probes, nō im-  
 meritò à Paulo, panē quem frâgimus esse appellatū  
 post consecrationem, quum serpens ex virga factus,  
 post mutationē tamen etiā virga appelletur, ratione  
 ejus quod fuit. sanè quod si Moyses nō significasset  
 disertis verbis, virgā esse mutatā in serpentē, & simili  
 effecta inde cōsecuta minimè percēsuisset, sed quin-  
 quies iterato virgā appellasset, nemo esset, ne vestrū  
 quidem, ita ineptus, qui virgam illā in serpentē dice-  
 ret suisse mutatā. Cūm verò dicat Moles verè fuisse  
 mutatā, & illius veræ ac substancialis cōversionis, nō  
 modò testes oēs astantiū oculos & sensus pducant, &  
 ipsa etiā, quæ cōsecuta sunt effecta, nimirū quòd ille  
 serpēs devoraverit Magorū virgas, quæ etiā videbâ-  
 tur esse serpētes, ideo nemo est q̄ de illius mutationis  
 veritate

veritate ambigat, etiā si ratione nō modò ejus quod antè fuerat, sed etiā ejus in quod iterū erat communiqué, vocata fuerit virga. Ac proinde si Paulus hīc etiā dixisset, panē illum quē frangimus fuisse cōversum in corpus, & ejus conversionis non modò oculos testes, sed ipsa etiam effecta & consequentia produxisset, non haberet nos ad assentiendū difficiles: Sed quum jam non modò, id non sit dictum, sed planè contrā exprimatur, illum panem quem frangimus esse communionē corporis Christi, quod est remotissimum ab omni transsubstantiatione, & capite undecimo bis, duodecimo verò ter nominetur panis, etiam post consecrationem, ideo non gravatē feres, si Paulo libentiūs quām vobis assentimur. De tuos sancti Francisci simulachro, nō est opus ulla responsione, nec n. est pretium operæ.

*cap. 16* Redis deinde ad illum Pauli locum *bibebant de cōsequente eos petra, Petra autem erat Christus, & vehementer laboras, ut probes de spirituali eum loqui mandatione, & de ijs, qui verè fideles fuerunt, sed cùm alterum non negaverim, alterū etiam apertè asseruerim, nescio quid cause sit, cur hīc te torqueas. Dixi n. petram fuisse potum spiritualem & manna cibum spiritualem, sed addidi maximam eorum, de quibus Paulus loquitur, partē fuisse infideles, quod si tu negas, cum Paulo tibi, non mecum est controversia. Omitto quod iterum tuo more recitas, me dixisse te de ipso Christo, non de incredulis Iudaeis, Pauli verba esse interpretatum, cùm ego dixerim de ipso Christo, non de Sacramento aquæ, quæ ex petra profluebat, id te esse interpretatum. Ita planè nihil*

Hil potes ex meis verbis allegare, nisi corruptum, detortum, ac mutilatum, quod quidem nescio, an ardenti studio calumniādi, an potius versutæ technæ, qua præstes, ut habeas aliquid quod plausibiliter possis reprehendere, tribuendum sit.

Ostendis & Chrysostomum & Augustinum de Christo id fuisse interpretatos, quid mirum? Cùm certum sit de Christo Paulum loqui, ait n. *Petra antē erat Christus*, nec ego unquam id reprehendi, hoc tantum redargui, quòd tu videbaris sacramentū hīc excludere, & velle de Christo ita dictum esse, ut nō esset dictum sacramentaliter, quod tamen tu jam in hac tua defensione capite nono, & tertio decimo apertè confiteris, & quæ ex Augustino producis, id „ ipsum manifestissimè demonstrant, ait n. hīc apertè „ signum fuisse visibile, ac proinde omnes quidē eundem potum bibisse, aliud tamen illos, aliud nos, sed „ specie visibili quidem, tamen hoc idem significante virtute sp̄iritus. Item, *Petra Christus in signo, verus Christus in verbo & in carne, &c.*

Tu tamen concludis, Augustinum hunc locū intellectissime ijs, qui in sacramētis veteribus per fidē Christū spiritualiter manducabant, quod ego ipsum planè assevero, sed ita tamen, ut simul cum illis comprehendenter maximam illorum partem, qui tantum Sacramentum & non rem Sacramenti percepérunt, quod apertè indicat Paulus, & tu ipse ex Tignosij regulis astruis, Nam cùm tu eum fidelibus loqui ais, quia vocat eos fratres, non puto te propterea velle negare, quin in illo fidelium frumento multa esset palea, cùm ipsem et eos objurgans iubeat, non gloriarī

riari in sacramētis externis, ne fortē pereant, quemadmodum patres eorum perierunt in diserto, & ut etiam multi ex illis ipsis jam obdormiverant.

Tu tamen in Sycophanticę tuę perpetuo curriculo strenuè pergens, aīs, te comperire me falsum dixisse, nempe quòd locum Apostoli de carnalibus Iudæis acceperit, quod ego ne per somniū quidē unquam cogitavi: cùm tantūm dixerim, illum de sacramentis locum illū explicuisse, quod & Paulū ipsum intellexisse manifeste probavi. In quo nō possū satis mirari, quid tibi veniat in mentē, nisi q̄ sēp̄ē repetij, quia censes mea scripta in Catholicorū tuorum manus nō esse pervētura, ideo hāc licētiā tibi arripis, ut quicqđ in buccā veniat, sive verū sit, sive falsū, susq; deq; habeas, modòut nō desit tibi arrodēdi materia?

Cap. xvii. iterū reco quis ea, quæ superioribus, septimo nimirū, octavo & tertio decimo ad nauseam usq; ingesseras, itaq; nō lubet nova cōquirere fastidia. Sequēti deinde capite aīs, cōfidentiā (qua ego dixerim mea scripta cū tuis cōserre ausum fuisse, ut mundus de causa judicaret,) nō semper esse veritatis argumentū, sed frequēter superbię & præsumptionis. Quis hoc nescit? an propterea veritas oderit lucem, & hominū Iudicia refugiet? Non arbitror, itaq; cùm illud mihi nullā superbię aut arrogantię maculam inurat, quòd ego mea scripta in lucē edidi, ut de veritate quivis posset judicare, quemadmodū neq; illud idem te arrogatię culpa liberat, quòd eadem illa tenebris pressa esse volueris, ne de calūnijs, quas mihi cōfidenter impingis, mundus judicaret, omnino equum erat nos hanc controversiā aliorum judi-

judicijs subjicere. Arguis me deinde quòd eadem fronte asseverem quo tempore eram Lovanij, fuisse vetita Ruardi scripta, quòd Calvini rationes interdum fusiùs & de verbo ad verbum proponerent. id tu factum esse negas, quia scilicet fueris ex consilio universitatis, & id te cōscio factum minimè sit, possem adducere vulgatum illud jureconsultorū, *Testis negatius non valeat*, sed nō est necesse. Ego n. nō dixi in universitatis cōsilio fuisse Ruardi libros prohibitos, id n. nunquam factū esse satis scio. Sed aio, & hoc infinitis testibus comprobare sum paratus, nō paucis bibliopolis, privatim fuisse interdictū, ne libros illos in vulgus exire paterentur, nā ego à præcipuo illud accepi bibliopola, qui tū eos libros habebat venales, sed quia nihil hoc ad causam de qua agimus, pertinet, non est necesse in eo diutiū immorari.

Tandē graviter me arcēsis, & impudentiē & mendacijs, proptereà quòd dixi, si nos essemus perduelles vos bis esse perduelles, primū, quòd in eadē perduellionis causa (si quidē ea est perduellio) nobiscū fuistis, deinde quod in socios & cōfederatos, vel in patriam potiū nefaria tulistis arma. Hic tu vehemēter ad laboras, ut universitatē tuam, seu doctorū ac professorū cōtū ab ista suspicione liberes, & unā opera mendacijs me reum peragas, quasi ego de cōetu doctorum, seu de universitate, & nō de civitate egerim; Ego sanè vos civitatis Lovaniēsis cives esse sum arbitratus, si in eo peccavi ignosce quæso erranti, peccauin. imprudens. Scio neq; Theologos, neque p̄fessores arma in regē tulisse, sed ago de toto civitatis corpore, quo certè vos minimè cōtineri nesciebā.

Possem equidem allegare in ea expeditione qua

equi-

equitatum Germanicum ad montes Hannoniæ ducebatur princeps Auraicæ, non modò ex ciuitate, sed ex ipsa etiam universitate ad nos venisse legatos, qui totius civitatis nomine certa pecunia nobiscum paciscerentur, & simul eorum fidei essent obsides. Possem adjicere in ea pacificatione Gandavenſi, quam rex Hispaniæ primùm quidem diplomate suo & sigillo comprobata, non ita multò post habuit pro perduellione, doctores etiam ex universitate interfuisse. An verò universitatis consensu missi ad nos fuerint, nec ne, haud magnopere labore. Illud scio, nisi ipſi illi, qui se universitatem vocant, pro socijs nostris & cōfederatis se gessisset, & eo loco à nobis habitifuisserent, malè certè id illis fuisse cessurū. Ita nostra lenitas nobis jam fraudi est apud homines ingratos.

Possem præterea cōmemorare ex pactione Gandavenſi, Lovanium ita se nobis conjunxit, ut semper præ se tulerit tum civitas, tū ipsa universitas se nobiscum arctissimo fœderis & necessitudinis vinculo esse copulatos: Multò etiam post, cū bellum denuò Iohāni Austriaco indictū esset; Lovanienses in confessu ordinum habuisse suos legatos, qui illam belli promulgationem sententij suis comprobarēt. Sed nolo hæc miseræ nostræ reipublicæ vulnera refricare, lubentius agnoscam me errasse, & universitatē Lovaniensem perduellionis crimine non jure culpasserē, cū ego ipse in eo facto nullam potuerim unquam perduellionem agnoscere.

Venio itaque ad postremum accusationis tuę caput, quo graviter me increpas, quod ego meum nomen inter illos profiteor, quise Catholicæ Romanæ Eccle-

Ecclesiæ desertores esse, publico diplomate profensi  
int. Quod ego quidem neque possim, neque velim  
diffiteri, sed à vera Catholica Ecclesia me nunquam  
descivisse, Deo ac patri Domini nostri Iesu Christi  
ex animo gratias ago; Imò verò quòd me ex Catho-  
lica & Romana, ad Catholicam & Apostolicam de-  
duxerit, id verò ego pro singulari atque incompa-  
ribili beneficio quoad vivam celebrabo.

Reprehendis quòd dixerim esse ridiculum, simul  
statuere Ecclesiam quamquam & Catholicam, id est,  
universalem, & Romanam, seu particularē: Ac pro-  
inde Catholicam Romanam nihil esse quām univer-  
salem particularem, quod quidem esse verissimū vel  
pueri ipsi intelligunt, sed aīs, ridiculum ergo fuisse  
nostrum edictum, quod & prēconis voce publicavi-  
mus, & prælo commissum in mundum universum  
emisimus; Ego certè non satis memini, an haē lo-  
quendi ratione usi sint, qui edictum illud promul-  
garunt, sed si non sunt usi, at certè debuisse tamen  
illos uti, planè existimo, quomodo n. aliter potuissent  
cōtum exprimere corum, quise perpetuō Ca-  
tholicos seu universales jactitant, & interea tamen  
alterā illā, quam addunt, notā Romanę scilicet Ec-  
clesiæ, seipso jugulant, & omnibus testatum faciūt  
à vera sc̄ Christi Ecclesia, (quæ vel ex ipso Aposto-  
lorū symbolo ita intelligitur esse Catholica, ut uni-  
versam sanctorū omniū, qui per fidem verbi Dei in  
Christo sunt sanctificati, communionem complecta-  
tur) manifestè descivisse. Sed cur nos illam appellā-  
vimus Catholicam? sanè si per concessionem, id fe-  
cissimus, quis meritò posset reprehendere? Quid n.  
est usitatius, quām populis, atq; universitatibus ac

gentibus ea tribuere nomina, quæ sibi ipsi vulgo arrogant, nec enim erat nobis animus de hac voce inter nos digladiari, an illi meritò sibi illud nomē arrogarent, nec ne, sed sunt multæ rationes, cur meritò, hac notatione possit ea Ecclesia designari. Catholicum n. dicitur, quod est universale. Diabolus, autem suam hīc in terris non minus habet Catholicam atque universalem Ecclesiam quām Christus; Deinde spiritus Dei apertè pronunciat, bestiam illā, quæ cum agno bellum geret, & septem cornibus seu montibus insignis, regibus terrarum Iohannis tempore dominabatur, verè fore Catholicam, & universim in populos, gentes, nationes ac linguas imperiū esse exercituram, quod quidem aquarum nomine manifestè designatur, ita ut Ecclesia Romana meritò Catholica dici possit, adeoque fidem ipsam Romanensium, suo quodam modo, Catholicam esse, nemo non videt: fidem n. plebis vocat implicitam, hoc est meram & supinam ignorantiam; Ecclesiæ verò (ita n. se se nominant sacrifici seu Ecclesiastici) fides, quid est aliud, quām universale quoddam & Catholicum chaos, quod potius in bona cujusque intentione & Pontificum libidine consistit, quām in certa aliqua ac præscripta & singulari norma: quicquid enim Pontifices Romani cum suis statuunt, id omne pro spiritus sancti oraculo obtrudunt. Aiunt relietas sibi esse ab Apostolis traditiones, quas nullo scripto comprehensas per manus acceperunt: eis dū insistunt (insistunt autem semper, quando id quod libitum est decernunt) omnino sē non posse errare statuunt. Hic si eos ex scriptura redarguimus, aiunt primū quidem, scripturam non omnia complecti  
quæ

quæ ad salutem pertineant, ac proinde non soli scripturæ, sed suis etiam Apostolicis, ut vocant, traditionibus parem, aut fortè etiam majorem esse adhibendam fidem; Deinde dicunt scripturas esse ambiguas, incertas & obscuras, earum autem interpretationem ad se solos pertinere, atque adeò non posse à nobis aliter scripturam exponi, nisi quo sensu illis adlubeat. Si patres objicimus, aiunt se Patrum sententijs non ita astrictos teneri, ut nō sit sibi integrū ab eorū sententia, quoties ita Ecclesię videatur, resiliere. Si conciliarū decreta objicimus, claimāt à solo Pontifice rata fieri concilia; ac proinde posse illum concilijs eam dare interpretationem quam voluerit, & verò etiam concilia potuisse errare, ac non rarò à vero aberasse. Si Scholasticorū illis doctorum placita opponimus, dicunt non se scholasticam, sed Catholicam doctrinam suscepisse defendendam. Si in perpetua consuetudine ostendimus esse erratum, aiunt hoc non esse Catholicum: In summa, omnino volūt suam fidē esse Catholicam i.e. universalem, quę nulla aliqua singulari norma, nulloqué certo præscripto, nullis deniq; regionibus contineatur, sed quocunq; adlibuerit divagetur, modò ex scriptura arripiat si quid arriserit, modò patrū interpretationes laudet, interdum conciliarum authoritate ducatur, interdū decretorū fulminibus orbē territet. Et è cōtra quoties videbitur, & Scripturam ut imperfectam vel redarguat, vel ad suas rationes attemperet, & Patres erroris notet, & cōcilia rejiciat, & ipsa etiam decreta pro arbitrio fingat & refingat. Ac proinde, mea quidem sententia, optimo jure Catholicā & dici & haberi potest; Non quidein Catholicā & Apostolica,

(nisi forte ratione illarū , quas diximus traditiones Apostolicas ab eis vocari) sed Catholica & Romana, ad illius Ecclesiæ discrimen , quæ nullam, nisi unius Pastoris Christi vocem audiens , & in Prophetarū & Apostolorū scriptis penitus acquiescens, meritò dicitur Catholica & Apostolica : nam cùm verè sit Apostolico labore fundata ; quicquid Apostolorū libris minimè continetur, id omne habet pro anathemate . sed nolo in hūc campū digredi, revertar unde ab ij . Dico igitur, etiam si optimo jure hæc Romana Ecclesia, seu potius Romana meretrix, sedens in septicorni bestia, seu in urbe septicolli, ut interpretatur Angelus, possit dici Catholica; nō tamē nos esse qui hoc illi nomen edicto illo tribuimus, qui n. edictum illud conscriperant, fuerunt plerique ex istis Catholicis, qui se ipsi hoc nomine decorarunt . Quam obrem quod tu toties nobis impropertas, quasi dixerimus nos esse Catholicæ Romanæ desertores, facile jam vides quo nitatur fundamēto . Sed postulas ut explicemus, quam igitur dicamus esse Catholicam, nempe eam quæ solius capit is ac spōsi sui, seu pastoris verè Catholic i vocē audit. Oves meæ, inquit Pastor ille catholicus, vocem meam audiunt, & me sequuntur, cētum (inquam) eorum, qui in unū Deum Patrem & Filium, & Spir. Sanctum credentes, unum Christū habent pro Mediatore, Sacerdote, Intercessore, ac Servatore : & deniq; quibus solus Christus Deus & homo sua est Iustitia, Sapiētia, Sanctificatio, 1. Cor. I, & Redemptio, ut ait Paulus, & qui in eo solo omnes 30. scientiæ & sapientiæ thesauros querunt: Breviter, qui per ejus verbum sanctificatis sunt, ac proinde meritò cognominātur Catholica sanctorum communio, in quo-

quorum cœtibus particularib. agnoscimus quidem paleam tritico esse commixta, sed interea, ut ait Paulus, solidum hoc firmamentum Dei stat, habens hoc sigillū, Novit Dominus qui sint sibi, is n. sibi à mundo condito perpetuo collegit Ecclesiam, pro ineffabili <sup>2. Tim.</sup> sua & arcana sapientia, interdum visibilem, interdum <sup>2, 19.</sup> oculis hominum absconditam, & nulla externa specie, sed fidei fulgore radiantem. Eam aut symbolis tum verbi prædicationis, tum Sacramentorum administrationis dignosci, & ab omnibus pseudo-Ecclesijs discriminari statuimus. Quod igitur existimas, duas nos ponere Ecclesias, alteram visibilem, alteram invisibilē, non satis intelligo quid velis: Nos n. unam tantum ponimus Ecclesiam, cœtum nimirū eorum, qui ab orbe condito usque ad orbem instaurandum, & fuerunt, & sunt, & erunt in Christi Iesu fide, per verbū sanctificati. Sed quia inter illos multi sunt, qui externa quidē professione in Ecclesia nūc habētur, sed corā Dei oculis pro Christi vera sponsa minimē posthac censebūtur: ideo dicimus hanc unā Ecclesiam dupli modo considerari, vel ut est & apparet in oculis hominum, vel ut est in oculis Dei: Deus n. novit qui sui sint, & multi sunt vocati, pauci verò electi: in oculis autem hominū, ab hac externa vocatione censemur in Ecclesia esse quicunque per verbi prædicationem, & sacramentorum administrationem sunt κεκλημένοι. Ita in Romanorum Ecclesia, ita in Ecclesia Corinthiorum, Galatarū, Ephesiorū, Colossensium, & omniū denique aliarum gentium fuere multi, quos Paulus vocat κεκλημένος, id est, vocatos, à quo nomine Ecclesia nuncupatur, quasi vocatorum cōgregatio, qui tamen cum essent reprobī,

134 D. S A N C T A L D E G O N D I V S  
ad Christum , ejusque corpus minimè pertinebant :  
sed quia illi Deo soli sunt noti , ejus judicio sunt re-  
linquendi , & in Ecclesia tamdiu cēsendi , donec ipse  
Dominus , justo suo judicio , agnos ab hœdis separa-  
verit . H abes de unica Christi Ecclesia , seu de unica  
Christi sponsa , nostram sententiam , quam ego tibi ,  
si voles , dabo certissimis , & irrefragabilibus exscri-  
ptura testimonijs comprobata m.

Vltimo capite , ut meam ratiocinationem evertas ,  
ponis discrimen inter Iudaicam Ecclesiā & Christia-  
nam , quod certè meam ratiocinationem minimè e-  
vertisset , nisi tu in amphibologia illius nominis De-  
orum cavillatoriè lufisses . Facis n. ita me argumen-  
tantem , Ecclesiā Iudaica nunquam ausa fuit statuere  
Deum in terris , sed Ecclesia Romana statuit pontifi-  
cem Romanum Deum in terris . Ergo hęc à verita-  
tis doctrina longius recessit , quām Iudaica . quod  
quidem certè argumentum esse verissimū , ne tu qui-  
dem ibis inficias , si voles accipere Dei nomē in ea si-  
gnificatione qua Paulus eam accipit ad Thessalonicē-  
ses , cùm ait , filium perditionis sese sublaturum supra  
omne , vel adversum omne quod dicitur Deus , & sese  
gesturum esse quasi sit Deus , quod certè in pōtifici-  
bus Romanis rei veritatē comprobavisse , omnia eo-  
rum decreta manifestissimè coarguūt , quibus idem  
cum Deo habere consistorium pronunciantur Pon-  
tifices , & omnia penè posse quę Deus possit , ac pro-  
inde esse soluti omni Iure , omniq; Iurisdictione , ita ,  
ut etiā si animarū plausta in infernum secū avehant ,  
nemo tamē illis dicere possit , cur ita facitis . quę certè  
minimè habere locum in ijs , quos tu in veteri Testa-  
mento , & in universa Scriptura dicis Deos suisse no-  
minatos .

minatos, ne tu quidem ipse potes inficiari. Nec n.eo  
impietatis Iudaicā unquam fuisse prolapsam Eccle-  
siam, sciunt omnes, qui aliquid sciūt: fateris tu qui-  
dem nōnullios fuisse, qui non tam veritate, quām be-  
nevolentia aut adulacione, præminentias quasdam  
Romano pontifici tribuerunt, quæ in scripturis sa-  
cris non clarè exprimuntur, atq; eum inter ministros  
novi Testamenti eminētiorem Deū voluerūt facere,  
quām scriptura sacra testetur. Sed simul adjicis, eos  
incōparabiliter minus benevolētia peccare, conādo  
eum majorem facere quām est, quām nos peccemus  
odio & malevolentia, conando id abolere quod est;  
ac proinde cōcludis, primū nobis agnoscendum esse  
beatum Petrum, ejusq; successores Romanos pon-  
tifices id esse, quod Christus eis locutus est.

Ad ea breviter respōdeo; benē se habet, quòd vis  
veritatis hāc qualemcunq; tenuem confessionē tibi  
extorqueat de illo, qui se supra omne numen effert,  
& in templo Dei sedet ut Deus. Vtrum autē gravius  
sit peccatum, hominem mortalem qui sese Deū facit  
supra modum extollere, an eundem infra modū de-  
primere, tu videris. Romanorū autem Pontificū se-  
dem postquā ex scripturæ sacræ certis & indubitatis  
testimonijs eviceris, ego fatebor ad eos esse locutū  
Christum quod dicis: sed intereā temporis dum tu  
id elaboras, ignoſce, si meum novum Testamentum  
confidenti, & diligenter, quid ad Romanos pontifi-  
ces locutus sit Christus, inquirenti, penitus nihil oc-  
currit, nisi quod de illis testatur Iohannes in Apoca-  
lypsi, ubi apertissimè & sine ambagibus notat, pur-  
puratam illam meretricem in urbe septicollī, quæ in  
reges terrarum imperium eo tempore exercebat, se-  
dem

0978574

dem suam habuisse, & cum agno & sanctis Dei bellum irreconciliabile gerere. Tu si voles nobis probare Christum hanc sedem stabilivisse, memineris quod ex Augustino paulo ante productus est, ut Ecclesiam ejusque caput invenias solis esse scripturis pugnandum, atque ex ijs clara, certa, ac perspicua documenta esse petenda, quae ambigua interpretatione non possint in hanc, vel illam partem trahi, sed quae clare & aperte testentur Ecclesiam Christi alium habere vicarium, & universale caput, quam Christum, & eundem illum Romae sedere; ac Petro, qui primus omnium ejusmodi fuerit caput, succedere. hoc si tu nunquam ex claris & certis scripturarum testimonij poteris demonstrare, haud aegre feres si ex me audies quod ab Augustino audierunt Donatistae, Anathema esse. Et si posthac tecum amplius tibi adlubebit conferre cœnem quidem mysterio, quia jam satis superque dictum est, nihil addam. de Ecclesia vero haud equidem recusabo fusiū disserere, modò ut calumnijs & cavillis valere jussis, ex ipsis scripturarum fontibus veritatē studeas elicere, & ipse apud te statuas, an non sit aequum primum de ipso Ecclesiæ capite nos dispicere, ut de capite consentientes ex ipsius capitum testificatione de corporis membris possimus cognoscere.

Interea rogarō Deum, ac Patrem Domini nostri Iesu Christi unici nostri mediatoris ac servatoris, ut te, mihi, suo sancto spiritu ita illustret, ut possis omni deposita pertinacia & præjudicio, Euangelij radiantem in Christo splendorem agnoscere, & nos simul omnes veritatis cognitione ita imbuere, ut uno inter nos charitatis vinculo colligati, in Christi Iesu corporis firmam ac solidam compaginem adolescamus, in ejus sanctissimi nominis gloriam & Ecclesiæ salutem. Vale.

FINIS.

e. 2356